Quarta. Quia illa dicitur a theologis propositio contumeliosa, quae iniuriosa est statui aut ordini ecclesiastico vel alicui gravi personae in dignitate ecclesiastica constitutae. Sed illa propositio «Clemens VIII non est verus Papa et indubitatus» est valde iniuriosa Romano Pontifici, cum in dubium revocet supremam eius dignitatem. Ergo vere est contumeliosa universalis Ecclesiae capiti et toti (g) ipsi catholicae Ecclesiae, illum ut unicum caput et verum Christi Domini Vicarium acceptanti et veneranti.

Sed, his non obstantibus, ut clarius constet quid de hac re sit sentiendum et totius aequivocationis ratio [F. 41r] e medio tollatur, *aliqua oportet irrefragabilia fundamenta praesupponere.*

Primum est, quod longe aliud est asserere «Clemens VIII non est verus Papa», et aliud «non est de fide hunc numero hominem, verbi gratia Clementem VIII, esse verum Papam». Istae enim duae propositiones valde inter se dissident; quod nec prima logicae rudimenta discentem latere potest. Quia, ut ipsorum utar verbis, prima propositio est de inesse, secunda vero modalis, quae in duas propositiones de inesse resolvitur. Idem enim est dicere «de fide est quod hic homo, verbi gratia Clemens VIII, est Papa», quod geminam asserere propositionem, scilicet

---

(g) Ms *totae* corregido de *toti.*

«Clemens VIII est Papa» et «hoc est de fide». Quo fit, ut maximo se errandi exponat periculo, qui praedictas duas propositiones confuderit (h), nimirum «Clemens VIII non est verus Papa» et ista «non est de fide quod Clemens VIII est verus Papa». Prima enim propositio est omnino temeraria, utpote sine ullo prorsus fundamento asserta et communi fidelium consensui repugnans. Est etiam scandalosa, quippe quae (i) ansam praebet schismaticis ad perseverandum in separatione ab hoc capite romanae et universalis Ecclesiae, et haereticis etiam ad deridendum fideles venerantes tamquam verum Ecclesiae caput quod revera est ficte caput; immo et catholicis ut non assentiantur definitis ab hoc Pontifice, siquidem non est verus Pontifex. Et tandem, affirmans praedictam propositionem, est suspectus de haeresi et tamquam haereticus puniri deberet; quia qui negat hunc esse pontificem post universalem Ecclesiae acceptationem, videtur plane negare potestatem quam habet Ecclesia ad eligendum verum pontificem, unicum Christi Domini Vicarium ac legitimum Petri successorem.

Ex quo liquido constat, quam longe distet haec propositio «hic Pontifex non est verus Papa» ab illa «non est de fide quod hic est verus Papa»; cum haec non neget esse verum Papam, sed potius, id libentissime confitendo contra haereticos et schismaticos, opinetur cum multis gravissimis doctoribus, quos infra recensemus, hoc non esse de fide sed inferri ex una propositione de fide et altera de qua non apparet ratio dubitandi, videlicet «ille, quem Ecclesia legitime elegerit in caput, est verus Papa; sed Clemens VIII est legitime electus; ergo est verus Papa».

Quare dicendum esse reor, adeo certum esse Sanctissimum Clementem VIII esse verum Papam, ut, etiam stando in hac sententia (scilicet quod hoc non est de fide), multo certiorem censeam hanc propositionem «Clemens VIII est verus Papa», quam illam «in hac hostia, quae servatur in sacrario [est Corpus] (j) Christi». Quia moraliter loquendo facilius potuit interveniri defectus in consecratione huius [hostiae] propter sacerdotis oblivionem aut malitiam seu defectus intentionis vel similes alias causas, [quam] in eo quod Ecclesia universalis acceptet tamquam verum Pontificem eum qui revera non est [pontifex] ex defectu baptismi vel alio electionem frustrante. Ex quo clarissime constat, quam longe [distet haec] propositio «hic pontifex non est verus Papa» ab illa «non est de fide quod

---

(h) Ms *confunderit*
(i) Ms *quippe qui*
(j) Toda esta parte baja del folio 41 está deteriorada y le faltan muchas palabras en el margen.

hic [sit verus Papa]», cum quo stat certius esse, hunc esse Papam, quam Corpus Christi ese in hostia, quae [consecratur in sacri]ficio Missae vel servatur in sacrario.

Secundo praenotari oportet, quod aliud est propositionem esse de fide absolute, aliud [de fide opinative]. Propositiones enim de fide absolute sunt illae, quae immediate revelatae sunt [...verbo vel] scripto; ut illae quae continentur in divina Scriptura vel in traditionibus [conservatis (?) imme]diate per Ecclesiam, (qualia sunt spectantia ad fidem aut mores un[versalis Ecclesiae per Pontificem] summum aut generalia Concilia definita); et secundum aliquos illa [quae tradunt esse de fide] omnes doctores sacri; et largo modo loquendo possunt etiam dici [de fide absolute] [F. 41v] quae, licet non ita expresse sint definitae, ex unanimi doctorum sententia censentur esse de fide. Dicuntur autem propositiones de fide opinative illae omnes, de quibus sub iudice est an sint de fide vel non, quia iuxta theologorum factiones, alii asserunt esse de fide opinative, alii vero negant. Ex quo sequitur, et est luce meridiana clarius, quod propositio contradictoria illius propositionis, quae est de fide absolute, debet aliqua gravi censura notari. Erit enim haeretica, si est contradictoria illius quae revelata est a Deo immediate per Scripturas Sacras vel mediate per Ecclesiam; et erronea, si est contradictoria illius, quae a Sanctis Patribus censetur de fide; et temeraria, si est contradictoria illius, quam concors doctorum sententia defendit esse de fide. Illa vero propositio, quae est contradictoria illius, quae est de fide opinative, nulla culpabili potest notari censura, siquidem cuilibet licet defendere opinionem probabilem.

Quae omnia ita notissima sunt, ut nulla indigeant probatione; cum passim Pontifices Summi et Generalia Concilia definiant multa tamquam de fide, quorum contraria ante praedictas definitiones ut vera defendebantur a multis doctissimis et piissimis viris de catholica Ecclesia benemeritis, quorum memoria in benedictione est. Alias non solum liceret hos damnare, verum etiam ipsos Sanctos Patres. Quod innumeris possem confirmare exemplis; sed brevitatis gratia unum aut alterum adhibendum iudicavi.

[1.°] Antiquissimus error fuit, quod animae Sanctorum non statim post mortem in caelum evolabant, sed spectabant futuram generalem resurrectionem. Et licet sint multi, qui moliantur hunc errorem impingere Divo Bernardo, sermone IV de festo Omnium Sanctorum (1), sed fuit

(1) S. BERNARDUS, *Sermo 4 in festo omnium Sanctorum:* ML 183, 471-475.

longe antiquiorum. Nam D. Hieronymus, super Ezechielem cap. 36 (2), plures antiquorum eosdemque catholicos in eadem refert sententia; et fuit error Vigilantii, contra quem scribit D. Hieronymus (3), et vere a Papia (4), Ioannis discipulo, originem duxit. Quem secutus est Irenaeus, lib. 2 Adversus Valentinianos (5), ut in eius prologo notat Erasmus, et Tertullianus, 4 Adversus Marcionem (6). Divus vero Bernardus, ubi supra, licet non omnino cum antiquis illis consensit [quia sanc]torum animas in coelo collocat, asserit tamen solum frui visione humanitatis Christi. Sic enim [intellig]it illud Apoc. 6[9s]: *sub altare Dei audivi voces occissorum, vindicans sanguinem sanctorum horum,* etc. [Ubi] utique altaris nomine humanitatem designat, cuius sola nunc visione animae recreantur; sed [postmo]dum, resumptis corporibus, exaltabuntur, inquit, super altare ut Divinitatem conspiciant, quia [ut pollicitus est], Christus ostendet se non in forma servi, sed in forma Dei ostendet, quia subinde Patrem [et Spiritum San]ctum. Hactenus Bernardus (7). Ecce quomodo multi tutati sunt hos errores contra sententiam [sanctor]um, scilicet Augustini, IX Confessionum (8), D. Gregorii, IV Dialogorum cap. 25 (9), D. Hieronymi [...] hom. 3 (10), et multorum aliorum, quia, teste D. Thoma, haec fuit communis sententia Patrum (11). [Et quidem] Benedictus XI, dictus XII, contrariam sententiam damnavit in [...]ccipit animas purgatas (12).

His suppositis, audiamus modo D. Thomam, qui [...pr]aedictos Sanctos Patres et ante Pontificis definitionem (k) huius divinae [...n]ostrum pulset auditum; sua enim solita brevitate et fecunditate docet [has prop]ositiones qualificare et eis debitam adhibere censuram. [F. 42r] Quaesitus ergo de sua sententia in hac re, asserit, 4 C. Gentes cap. 91 praedictam Patrum sententiam ceu catholicam esse tenendam, quia huic veritati auctoritates Scripturae canonicae manifeste attestantur et documenta Sactorum Patrum, ut patet ex illo Pauli 2 Cor. [5, 1] «*scimus quoniam*

(k) Sigue en Ms una palabra ilegible.

(2) S. HIERONYMUS, *In Ezechielem* lib. 9 cap. 36: ML 25, 339.
(3) S. HIERONYMUS, *Contra Vigilantium* 6: ML 23, 344.352.
(4) Cf. EUSEBIUS, *Historia Ecclesiastica* 3, 39, 12: MG 20, 300.
(5) S. IRENAEUS, *Adversus haereses* 5, 318.: MG 7, 1208-1210.
(6) TERTULLIANUS, *Adversus Marcionem* 3, 24: ML 2, 355.
(7) S. BERNARDUS, *Sermo 4 in festo omnium Sanctorum:* ML 183, 472.
(8) S. AUGUSTINUS, *Confessiones* 9, 13: ML 32, 778.
(9) S. GREGORIUS M., *Dialogi* 4, 25: ML 77, 357.
(10) S. HIERONYMUS, *In Evangelium Matthaei* 3, 22: ML 26, 145.
(11) *S. Th.* Suppl. q. 69 a. 2.
(12) BENEDICTUS XII, *Constitutio Benedictus Deus*: Msi 25, 986.

si terrena domus nostra huius habitationis dissolvatur» etc.; et ad Phil. 1 [23] «*cupio dissolvi et esse cum Christo*»; et Luca 23[43] ait Dominus latroni: «*hodie mecum eris in paradiso*»; et Act. 6[56] beatus Stephanus ait: «*video coelos apertos et Iesum stantem a dextris virtutis Dei*», quasi illuc esset statim recipiendus. Et Apostoli, ut Mt. 19[28], assesuri sunt cum Christo ad iudicandum; ergo ante diem iudicii in coelo exsistunt. Haec Angelicus Doctor refert testimonia (13), quibus convictus asserit illam veram esse Pauli sententiam et contrariam menifeste esse contra mentem Pauli. Igitur de mente D. Thomae contraria sententia est haeretica, quia contra sacram Scripturam; vel saltem erronea, quia contra Patres; vel ad minus scandalosa. Absit quod sanctus Doctor Graecorum errorem gravi aliqua censura inficietur; sed solum asserit, 1.2 q. 4 a. 5 in corp., quod apparet esse falsum. Et si quaeras quare sanctus Doctor sola falsitatis nota qualificet (l) sententiam contra sacram Scripturam et contra torrentem Patrum, respondeo quod non ob aliud nisi quia nondum Ecclesia, ad quam solam spectat sacram Scripturam interpretari et res fidei definire, in damnanda vel censuranda illa sententia manum imposuerat.

[2.°] Praeterea error antiquissimus Donatistarum fuit, quod baptismus ab haereticis collatus non erat legitimus. Contra quos scribit D. Augustinus. Quem errorem post Agrippinum defendit D. Cyprianus, qui cum illa ignorantia mortuus est, ut testatur idem Augustinus, lib. 2 Contra Donatistas cap. 5 (14); et postea Carthaginense II Concilium damnavit illam sententiam tamquam haereticam; et post illud multae sacrae synodi et Pontificorum Summorum decreta. Et nihilominus D. Cyprianum alioquin sanctissimum et doctissimum omnes testantur, et nemo aliqua erroris nota illum ausus est inficiari. De quo inquit D. Augustinus: Si Cyprianus Carthaginensi Concilio interfuisset, pro sua eximia humilitate et pacis desiderio in sententiam Patrum venisset. Quocirca absit ut nullo umquam fuerit tempore cum haereticis aestimatus. Nam sua aetate non erat error ab Ecclesia damnatus, sicut postea fuit per Cornelium, Lucium et Stephanum, Romanos Pontifices (15). Unde bene inquit Sotus, in IV dist. 5 art. 9, quod nec aliquod peccatum commisit sanctissimus vir cum

(l) Ms *calificat*

(13) *C. Gentes* 4, 91; donde sin embargo no se encuentran citados todos esos textos.

(14) S. AUGUSTINUS, *De baptismo* 2, 5, 6: ML 43, 130.

(15) S. AUGUSTINUS, *De baptismo* 2, 9, 14: ML 43, 1315.

talem sententiam habuit. Et est valde notandum, quod error illius (ll) usque adeo subcrevit, ut concilium extet inter opera D. Cypriani 80 Episcoporum eiusdem dogmatis (16). Propter quod asserebant Donatistae se magnorum virorum, et praesertim Cypriani, vestigia sequi; de quibus bene dicit Vincentius Lirinensis in lib. Adversus haereses: «*Quis ille tam durus est, qui illud sanctorum omnium et Episcoporum et Martyrum lumen, Beatissimum Cyprianum, cum ceteris collegis suis in aeternum dubitet regnaturum cum Christo? aut quis tam sacrilegus, qui Donatistas et ceteras partes, quae illius auctoritate Concilii rebaptizare se iactant, in sempiternum neget arsuros cum diabolo?* (17)». Hactenus Vincentius. Quae igitur ratio est differentiae, siquidem omnes eandem sententiam tutati sunt? Non alia, nisi quod sententia illa non erat damnata per Ecclesiam tempore Cypriani (m).

[3.°] Idem contigit multis sanctissimis Graecorum, qui existimarunt Spiritum Sanctum non procedere ab utroque, sed a solo Patre (n), antequam Ecclesiae symbolo adderentur verba illa «Filioque», licet D. Athanasius et alii multi contrariam sententiam tamquam fide catholica credendam affirmabant. Perspiciant, obsecro, rigurosi similium propositionum censores sacrum Florentinum Concilium, ubi symbolo addita fuerunt praedicta verba «Filioque», et notent quanta [F. 42v] cum reverentia et modestia Concilii Patres loquantur de contraria sententia, quamvis a multis retro annis Athanasii symbolum Ecclesia venerata fuerat, in quo habetur: «*Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*». Et subdit sanctus Doctor: «*Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*»

Ecce quomodo longe aliud est, aliquam propositionem esse de fide absolute, vel opinative. Restant modo duo investiganda, ut quaestioni fiat satis. Alterum, an haec propositio «Clemens VIII est verus pontifex» sit de fide; et alterum, an sit de fide absolute, vel opinative.

Tertio igitur est notandum, quod, perspectis omnibus quae circa hanc veritatem «hic homo, scilicet Clemens VIII, est verus Papa» doctores

(ll) Ms *illi*

(m) Al margen añade, tal vez Hojeda: *Tempore Cypriani oppositum definitum erat per Cornelium et Stephanum papam in Concilio provinciali, non tamen in generali; et ob id tantum excusatur ab Augustino.*

(n) Ms corregido de *Filio*

(16) Cf. ML 3, 1074ss.

(17) S. VINCENTIUS LIRINENSIS, *Commonitorium* 6: ML 50, 646s.

pro utraque parte communiter dicunt, sentiendum puto illam esse de fide. Et haec sententia gemino nititur fundamento: altero desumpto ex usu potestatis definiendi de fide, qua gaudent universi Romani Pontifices; altero ex communi et universali acceptatione Ecclesiae, *quae columna est et firmamentum veritatis* [1 Tim. 3, 15].

Et, ut istorum duorum fundamentorum constet vis, *multipliciter probatur praedicta sententia.*

Ad cuius explicationem *suppono* propositam controversiam bifariam intelligi posse. Nam, cum quaeritur an sit certum secundum fidem, hunc Pontificem ese verum Papam, potest esse sermo de illo ante eius definitionem, vel postquam aliquam veritatem fidei definierit et illa tradiderit toti Ecclesiae credendam. Et doctores, qui defendunt hanc veritatem esse de fide, communiter loquuntur de pontifice definiente aliquam propositionem Ecclesiae universali proponendam tamquam de fide. Idque probant triplici efficacissima ratione.

Prima. Nam de fide est, quod omnis Pontifex definiens res fidei, cui universalis Ecclesia assensum praebet, est legitimus Papa. Sed hic Pontifex est huiusmodi. Ergo est de fide quod est verus Papa. Patet, quia alioquin Ecclesia universalis posset errare praebens assensum illegitimo Papae, quod est impium. Et si dicas: maior discursus non est omnino vera, quia, eo ipso quod aliquis pontifex sit communi consensu receptus ab universali Ecclesia, habet potestatem definiendi infallibiliter, licet alias re ipsa non sit verus Papa ex defectu baptismi etc. (ñ). Quia, iuxta communem et receptissimam theologorum sententiam, titulus coloratus cum communi errore vulgi praebet iurisdictionem (o). Ita tenent communiter Summistae cum Caietano, verbo Absolutio, et constat ex lege Barbarius Philippus § de officiis praetoris. Unde, cum in praedicto casu concurreret titulus coloratus electionis et communis error populi putantis, et merito, illum esse Papam, haberet quidem supremam Pontificis iurisdictionem. Sed contra, quia, si ille in re non est verus Papa, poterit errare, et per consequens eius definitio non esset infallibilis; quod est haereticum. Nihil enim obstat quod qui non est verus Papa, aut non est legitimum Concilium, possint errare in fide. Nec sufficit dicere, quod assistentia Spiritus Sancti in ordine ad definiendum infallibiliter non est promissa nisi Petro et successoribus illius; sed qui re ipsa non est verus Papa, sed solum existimatus, non est formaliter successor Petri, sed apparens et

(ñ) El Ms parece decir *vel etc.*
(o) Ms corregido de *definitionem*

verum idolum veri pontificis; ergo talis non habet assistentiam Spiritus Sancti in ordine ad definiendum.

Et explico magis vim huius rationis. Nam qui non est successor Petri iure sed errore, non est verus successor sed fictus et falso existimatus; sicut qui est haeres errore, et non iure, non est successor in haereditate. Ergo cum fides doceat assistentiam Spiritus Sancti solum esse promissam Petro et eius successoribus, intelligendum est de veris successoribus, quales sunt qui iure, et non errore, tales habentur. Nec est eadem ratio de Pontifice et de falso praetore pro vero reputato iuxta praedictam legem Barbarius Philippus, cuius sententiae [F. 43r] et definitiones validae (p) sunt, quia, licet existimatus praetor, habet iurisdictionem tamen; id est, quia eam recipit a republica vel a iure (q), id statuente. At potestas definiendi, quam habet Papa, non est ei collata ab Ecclesia, ut contendunt nonnulli haeretici, sed eam habet immediate a Christo Domino, ut verissima docet theologorum sententia, a catholicis omnino amplectenda. Ergo qui non est verus Papa, sed existimatus, nullo modo habet potestatem definiendi infallibiliter. Aliter manifesta esset implicatio in adiecto, quod hic pontifex habeat auctoritatem infallibiliter definiendi et supremam potestatem supra universam Ecclesiam, et tamen non sit verus Papa. Nam si verum Papam quidditative definias, nihil aliud reperies esse, quam habentem supremam auctoritatem ad infallibiliter definiendum et supremam potestatem supra Ecclesiam Dei. Ergo si hic Pontifex, quem vocas existimatum, illam habet, falso admittis non esse verum Papam.

Secundo probatur praedicta sententia. Postquam Concilium Tridentinum aliquid (r) definivit de fide et Papa illud confirmavit, est certum secundum fidem hoc Concilium fuisse legitime congregatum. Ergo etiam, postquam hic Pontifex definivit aliquid de fide, est certum secundum fidem illum esse legitime electum atque adeo verum Papam. Consequentia est evidens et a nemine umquam denegata, quia eadem est prorsus ratio de hoc Concilio et de hoc Papa. Antecedens probatur hoc evidenti discursu: de fide est quod Concilium rite congregatum obligat ad credendum, et non rite congregatum non obligat ad credendum; sed Concilium Tridentinum obligat ad credendum; ergo fuit rite congregatum. Consequentia est evidens sine controversia. Maior est certa secundum fidem. Minor constat etiam eadem fide; alias sequeretur nullum Conci-

---

(p) Ms corregido de *verae*
(q) Ms tachado *civili*
(r) Ms *aliquod*

lium obligare ad credendum definitis ab illo, quia non est maior ratio de aliis quam de Tridentino.

Tertio probatur. Quia omnis propositio de fide potest inferri ex duplici praemissa, quarum utraque sit de fide, vel, ut aliis placet, altera de fide et altera evidenti lumine naturali. Sed ista propositio «Papa definiens non potest errare» est certa de fide. Ergo potest inferri ex duplici praemissa modo dicto. Quod tamen nulla ratione fieri posset, ut patebit discurrenti, nisi propositio ista «hic pontifex definiens est verus Papa» esset de fide. Nam in quocumque syllogismo inferatur conclusio illa «Papa definiens non potest errare», debet assumi ut minor «hic pontifex definiens est verus Papa»; quae, cum non sit nota lumine naturali, necessario debet esse de fide. Alias conclusio non est de fide.

Ecce qualiter probetur praedicta veritas, loquendo de pontifice definiente.

Si autem loquamur de Papa antequam definierit, similiter certum esse existimo secundum fidem quod est verus Papa. Et licet communiter loquantur huius factionis doctores de Pontifice post eius definitionem, non autem ante illam, nobis tamen videtur quod haec propositio «certum est secundum fidem quod hic numero Pontifex, verbi gratia Clemens VIII, qui modo praeest universali Ecclesiae Dei, etiam antequam aliquid definiat, est verus Papa» non minus efficacibus rationibus fulciri potest quam praecedens.

Et primo illam probo ex doctrina Patrum et Conciliorum. Nam (s) D. Augustinus tomo 6, Contra Epistolam Fundamenti cap. 4 et in Epistola contra partem Donati, et tomo 2, Epistola 125 (18) et Irenaeus lib. 3 cap. 3 (19), cum D. Basilio et Ambrosio, aperte docent, et clarius Augustinus, de fide esse in Ecclesia Dei nunquam defuturam successionem verorum Pontificum, sicut nec veritatem doctrinae. Sacra etiam Concilia idem testantur. Nam VI Synodus nominatim recipit Agathonem, confitendo illum verum Pontificem (20); Concilium Chalcedonense, Leonem (21); Concilium Milevitanum, Innocentium I (t); et tandem Dist. 20 approbantur tamquam veri et legitimi Pontifices Silverter, Zosimus,

(s) Ms corregido de *Ita enim docent*
(t) Ms *III*

(18) S. AUGUSTINUS, *Contra epistolam Manichaei, quam vocant fundamenti* 4, 5: ML 42, 175; *Psalmus contra partem Donati:* ML 43, 30.
(19) S. IRENAEUS, *Adversus haereses* 3, 3: MG 7, 848.
(20) *Conc. Constantinopolitanum III:* HARDUIN 3, 1397.
(21) Cf. ML 54, 952-959; 20, 676.

Innocentius et alii (22). Ex quibus omnibus aperte constat, tam Patres quam Concilia eadem fide ac veneratione amplecti hunc numero Pontificem ac Pontificem in communi.

[F. 43v] *Secundo,* quia Ecclesia universalis recipit Beatissimum Clementem VIII tamquam verum Pontificem. Ergo fide tenendum est, esse verum Papam. Patet consequentia ex hac simili evidenti illatione: universalis Ecclesia recipit tamquam veram hanc Scripturam; ergo est de fide quod haec Scriptura est vera. Igitur in simili forma ita est evidens ista illatio: universalis Ecclesia recipit hunc ut verum Pontificem; ergo est de fide quod est verus Pontifex. Et si dicas, quod est dispar ratio, quia Ecclesia recipit hanc esse veram Scripturam tamquam certum certitudine infallibili, quod autem hic sit Papa certitudine morali nulla sit ratio dubitandi (u): sed contra, obicio insignem locum ex Bulla Martini V, quae refertur in Concilio Constantiensi, ubi dicitur petendum esse ab haereticis, qui Ecclesiae reconciliari cupiunt (v), quod credant Papam, qui pro tempore fuerit ab universali Ecclesia receptus, esse verum successorem Petri et habere supremam potestatem in Ecclesia (23); ergo vere Ecclesia proponit tamquam certum certitudine fidei, hunc esse verum Papam; alias non posterit id credi fide divina ab iis, qui reconciliantur Ecclesiae.

Tertio, quia Ecclesia universalis, et maxime coniuncta suo capiti, non potest errare. Sed universalis Ecclesia cum suo capite tenet, Beatissimum Clementem VIII esse verum Papam. Ergo fide divina id tenendum est; vel dicendum, Ecclesiam cum suo capite posse errare, tenendo pro vero Papa eum, qui vere non est Papa. Respondent adversarii, duplicem esse errorem, practicum vel speculativum; et tunc Ecclesiam non errare practice, tenendo hunc verum esse Pontificem, licet aliter res se habeat, quia attentis omnibus circumstantiis vere iudicat hunc esse legitimum Papam; errare vero posse, aiunt, speculative, ut constat exemplo eunuchorum, quia Ecclesia multo tempore iudicavit eunuchos esse habiles ad rite contrahendum matrimonium; in quo speculative erravit, cum postea Sixtus V definierit inhabiles esse et praeterita illorum matrimonia irrita et omnino nulla fuisse. Sed contra, quia de fide est, quod Ecclesia universalis, (in his quae proponit omnibus fidelibus circa inanimatam regulam fidei quae est scripta) non solum practice, sed neque speculative errare potest. Ergo

(u) Ms corregido de *de qua non est*
(v) Ms corregido de *petunt*

(22) *Decr. Gratiani* 1.ª pars c. 1 D. XX.
(23) HARDUIN, 8, 915.

nec etiam potest errare in accipienda seu acceptanda animata fidei regula, cuiusmodi est Summus Pontifex. Cum enim Ecclesia a Spiritu Sancto regatur, de quo Dominus dixit «*docebit vos omnem veritatem*» [Io 16, 13], impium est dicere Ecclesiam posse speculative errare circa suum caput, iudicando et proponendo pro vero capite quod revera non est tale. Neque instantia allata de eunuchis quidquam probat in contrarium huius doctrinae; quia aliud est Ecclesiam tolerasse et permississe matrimonia eunuchorum, et aliud positive iudicasse esse vera matrimonia. Primum, verum est; at secundum, falsum omnino; quia nunquam Ecclesia se applicuerat ad examinandam hanc veritatem de inhabilitate eunuchi ad matrimonium, et sic nullum positivum iudicium circa illam tulerat. Neque mirandum quidem est, quod haec veritas tanto tempore latuerit. Quia Ecclesia in Sacra Scriptura comparatur aurorae, «*quasi aurora consurgens*» (Cant. 6, [9]), ut adnotavit D. Gregorius, IV Moralium cap. 15 n. 19 (24), quia aurora ab ortu suo semper crescit in claritate usque ad perfectum diem. Unde in Conciliis videmus plures veritates, quae antea latebant, in lucem de novo prodiisse; quia Ecclesiae cognitio et scientia in dies augetur et crescit.

Ultimo arguitur pro nostra sententia, quia fide catholica credimus non solum Ecclesiam in communi, sed hanc Ecclesiam Romanam, quae modo est sub Sanctissimo Clemente VIII, esse veram et legitimam Ecclesiam. Ergo eadem fide credere debemus Sanctissimum Clementem esse verum Pontificem Romanum. Probatur consequentia: quia, licet non individuetur haec Ecclesia ab hoc determinato capite (cum, eo mortuo, eadem numero perseveret sub singulis successoribus pro tempore exsistentibus), individuatur tamen (x) ut est Ecclesia hierarchica, specificatur [F. 44r] etiam sede vacante ex ordine ad verum caput ex consensu universalis Ecclesiae; [ergo] necessario dicendum est illud esse verum caput. Patet consequentia: quia ad constitutionem Ecclesiae non minus pertinet caput, quam membra; immo magis caput, quia est principalior pars; sed Ecclesia non potest constare membris, quae vere non sint membra; ergo nec etiam potest constare capite quod vere non sit caput.

Ex quibus omnibus patet, hanc nostram sententiam praedicto duplici firmissimo fundamento inniti, altero desumpto ex usu potestatis definiendi

(x) Ms añade después de *tamen* una palabra ilegible.

(24) S. GREGORIUS, *Moralia* 4, 11, 19: ML 75, 648.

de fide (qua (y) gaudent Romani Pontifices, tamquam legitimi successores Petri), altero ex communi acceptatione (z) universalis Ecclesiae.

Nec contra praedicta aliquid probat exemplum de hostia consecrata, adductum a Caietano (25) et ab aliis contrarie factionis doctoribus; qui asserunt, quod sicut est de fide quod in omni hostia consecrata est Corpus Christi, sed quod haec hostia consecrata sit non est de fide nec evidens, sed moraliter tantum notum (a) (quia non aliter constat de intentione consecrantis), ita de fide est quod omnis Pontifex legitime electus est verus Pontifex, quod autem hic sit legitime electus constat certitudine morali (de qua nulla est rationabilis ratio dubitandi), non autem constat de fide nec evidenter; quia potuit intervenire aliquis secretus defectus impediens electionem. Sed revera dispar ratio est de hac hostia, quae in sacrario asservatur, et de hoc Pontifice, qui in Ecclesia sedet. Nam haec hostia nullum exteriorem effectum habet, qui sit signum exsistentiae Corporis Christi sub illa (cum eodem prorsus modo se habeat exterius post consecrationem ac antea); Pontifex autem definiens et Ecclesiam Dei regens ac gubernans, habet effectum exteriorem, per quem innotescit fidelibus ipsum esse Papam, scilicet ipsam definitionem, et ante illam universalem consensum Ecclesiae illum acceptantis, quod est externum et evidens signum ipsum esse verum Papam. Unde ratio illa potest sine dubio contra illos facile retorqueri. Nam, si hostiae consecratae fuisset a Christo Domino collatum hoc privilegium, ut applicata igni non comburetur, legitimus esset hic discursus: omnis hostia, quae applicata igni non comburitur, est rite consecrata; haec non comburitur; ergo est rite consecrata. Conclusio sine dubio esset theologica, vel de fide, sicut haec «Christus est risibilis»; quia illata ex una de fide et altera evidenti lumine naturali. Igitur cum Papae datum fuerit a Cristo Domino pascere Ecclesiam Dei et non posse errare in suis definitionibus, licebit similem discursum conficere: omnis Pontifex, qui in sua definitione errare non potest, est verus Papa; sed Sanctissimus Clemens VIII non potest errare in sua definitione; ergo est verus Papa. Consequentia est evidens et utraque praemissa de fide; ergo etiam conclusio.

Restat modo videre an sit de fide absolute, vel opinative.

Quarto ergo *notandum est*, quod praedicta propositio «hic est verus

(y) Ms *quo*
(z) Ms *acceptione*
(a) Ms *nota*

(25) TH. DE VIO CAIETANUS, *In* 2.2 q. 1 a. 3 (S. THOMAE AQUINATIS *Opera omnia*, edic. Leonina 8, 13).

Pontifex» est de fide non absolute, sed opinative. Patet ex praedictis in secundo fundamento. Quia illa est propositio de fide opinative, quae sub opinione est an sit de fide, vel non; sed haec est talis; ergo est de fide opinative. Maior cum consequentia est nota. Probatur minor: quia bona pars, immo maior et communior, theologorum tenet non esse de fide, sed moraliter tantum notam (b). Et quod amplius est, doctores, qui praedictam nostram sententiam tutantur, libentissime fatentur contrariam sententiam esse probabilem; ergo neminem, qui crassa ignorantia aut malitia careat, latere potest, quod est de fide opinative. Et ne in hoc remaneat aliqua ratio dubitandi, praedictorum doctorum testimonia referam.

Imprimis quatuor sunt Illustrissimi Cardinales, de Ecclesia bene meriti et qui post Divos Hieronymum et Bonaventuram fortasse magis sacrum illud Collegium ornarunt. Hi magnos scripserunt tractatus in defensionem pontificiae auctoritatis; et nihilominus opinantur hanc propositionem «hic est Papa» non esse de fide, sed moraliter notam (c).

1. Primus est *Turrecremata,* qui hoc aperte docet libro 4 Summae parte 2 cap. 20 ad quartam rationem (26), [F. 44v] ubi aperte supponit mulierem vel infidelem non baptizatum et haereticum occultum (de quo ipse iudicat esse ipso facto depositum), haberi posse ab omnibus pro vero Papa, cum tamen verus Papa non sit. Et supra, cap 9, exemplum posuerat in Thoma de Sarzana, qui tunc erat Pontifex. Ubi asserit, quod haec propositio «Thomas de Sarzana est Papa» sequitur ex una de fide et altera quae rationabiliter nequit negari, videlicet legitime fuisse electum.

2. Secundus est *Caietanus,* qui 2.2 q. 1 a. 3 (27) idem iudicat esse sentiendum de hac propositione «hic numero Papa est verus Pontifex» et «haec numero hostia est consecrata». Et tandem concludit, quod sicut haec hostia non est cum conditione adoranda quia nihil habemus de fide de intentione consecrantis, ita sine conditione est venerandus et habendus pro vero Pontifice qui indubitanter Romae sedet, licet fide non constet an sit baptizatus etc.

3. Tertius est *Stanislaus Hosius,* qui libro 3 contra Brentium (28) de auctoritate Sacrae Scripturae hanc doctrinam supponens, defendit Papam non posse errare in suis definitionibus. Et licet hanc potestatem non ha-

(b) Ms *nota*
(c) Ms *nota*

(26) I. DE TORQUEMADA, *Summa de Ecclesia* lib. 4 p. 2 cp. 20 et 9.
(27) TH. DE VIO CAIETANUS, *In* 2.2 q. 1 a. 3 (Edic. Leonina 8, 13).
(28) ST. HOSIUS, *Confutatio Prolegomenon Brentii* lib. 3 (*Opera,* Venetiis 1573).

beret qui non esset verus Papa; qui, si res fidei vellet definire, ad Dei providentiam pertinet vel non permittere illum definire, vel, si id definiat, quod definiat verum.

4. Quartus est *Bellarminus* (29). De auctoritate Conciliorum lib. 2 cap. 2, ad postremam obiectionem, ubi defendit non esse de fide hoc numero Concilium esse legitimum. Et clarius lib. 4 de Romano Pontifice cap. 12, ubi refert historiam Formosi Pontificis, qui, cum diu in Petri cathedra sedisset, ab Stephano VI in episcoporum Concilio pronuntiatus est falsus Pontifex et eius acta irritata. Post mortem vero Stephani tres ordine Pontifices succedentes, revocato alio Concilio, iudicaverunt Formosum verum fuisse Pontificem et Stephani VI sententiam irritaverunt; et postea Sergius III, Stephanum VI imitatus, Formosum iterum verum Pontificem non fuisse declaravit. Et inquit Bellarminus, quod si Pontifices erraverunt, non tamen in quaestione de fide, sed de facti contingentia; in qua contingere potest ut Pontifex erret. Illa ergo quaestio, an hic numero Pontifex est legitimus, non fidei sed facti est.

5. Idem tenet *Gerson* Alphabeto 14 litt. f (30), ubi assignans in quinto gradu propositiones, quae non sunt de fide sed sapiunt (d) fidem, haec ait: «Sic potest describi propositio sapiens haeresim, quod est propositio, in cuius concessione, coassumpto aliquo quod non potest rationabiliter negari, sequitur haeresis in fide; ut si quis diceret quod Beatus Gregorius non fuisset Papa; quia, supposito quod non possunt rationabiliter negari historiae dicentes ipsum fuisse electum et susceptum in Papam, licet non sit de fide, sequitur ista haeresis, quod rite electus in Papam non fuit Papa. Unde non est propositio ita catholica, si sibi iungatur aliquod impertinens ad fidem, quando totum hoc complexum remaneat ad fidem impertinens».

6 (e). Idem docet *Almainus* (31), De auctoritate Ecclesiae cap. 10 in fine et cap. 11; et II Sententiarum dist. 25 q. unica expresse asserit de Concilio quod de Pontifice dixerat, videlicet quod non est de fide hoc numero Concilium esse legitime congregatum.

(d) Ms *sapiant*
(e) Ms 5

---

(29) S. Robertus Bellarminus, *De Conciliis* 2, 2; *De Summo Pontifice*, 4, 12.
(30) I. Gerson, *Opera omnia*, 2.ª pars, *Compendium theologiae*, alphab. 14.
(31) I. Almainus, *De auctoritate Ecclesiae seu Sanctorum Conciliorum cum repraesentantium* cap. 10s.; *in 2 sent.* dist. 25.

7 (f). His (g) accedit *Driedo* 1.° De libertate christiana cap. 14 opinione 1.ª (32), ubi ut valde probabile defendit quod Papa, si sit haereticus etsi occultus, eo ipso est privatus iurisdictione et Pontificatu; et quod tenetur ad renuntiandum, sicut si quis iudaeus aut paganus aut non baptizatus eligeretur in Papam.

8 (h). *Cano* 6 de locis cap. ultimo ad 10 (33) ait Concilium Nicaenum in fide non errasse aut Chalcedonense aut Ephesinum, nec in sacris libris nec in Apostolorum traditionibus etc. At quod haec Concilia legitime fuerint congregata ex divina revelatione non creditur, sed ex humana fide. Et supra ait Romanum Episcopum esse Petri successorem, ex historiis et traditione gravissimorum virorum haberi.

[F. 45r] 9 (i). *Lelius Tekius* (?), De Conciliis haeresi 5.ª ad ultimum, refert et sequitur Canum fere eisdem verbis.

10 (j). *Arnaldus Albertinus*, De agnoscendis assertionibus catholicis q. 5 n. 16 et 17 (34), idem docet quod Gerson, ubi supra, de hac propositione «Dominus Ioannes Maria est verus Pontifex».

11 (k). *Frater Petrus Bollus*, in Oeconomia christiana clas. 3.ª in fine (35), ait fieri et contingere posse, quod tales, qui pro legitimis Papis habentur et creduntur humana fide cui falso subesse potest, veri tamen et legitimi Papae non sint, quia non vere baptizati, vel non vere instituti sunt.

12 (l). *Castro*, De iusta haereticorum punitione lib. 2 cap. 24 (36), idem expresse docet; et si contingeret non baptizatum vel feminam eligi in Episcopum aut Papam, Deus Ecclesiae suae succurreret, ut tolleretur confusio, ut de talibus eventibus inquit D. Thomas in 4 Sententiarum

---

(f) Ms *6*
(g) Ms *Hic*
(h) Ms *7*
(i) Ms *8*
(j) Ms *9*
(k) Ms *10*
(l) Ms *11*

---

(32) I. Driedo, *De libertate christiana* lib. 1 cp. 14 (Lovanii 1553) t. 4 fol. 39s.
(33) M. Cano, *De locis theologicis* lib. 6 cp. 8.
(34) Arnaldus Albertinus, *De agnoscendis assertionibus catholicis et haereticis* q. 5 (Romae 1587).
(35) P. de Bollo *Oeconomia christiana* cl. 3.ª (Lugduni 1588).
(36) A. de Castro, *De iusta haereticorum punitione* lib. 2 cap. 24 (Salmanticae 1547) fol. 167r.

dist. 24 art. 2 ad quintam quaestionem; cuius verba sunt: «Deus non permittet ita latere quod periculum Ecclesiae imminere posset» (ll).

13 (m). *Antonius de Cordoba,* lib. 2 Quaestionarii q. 17 § 2 (37), ex mente multorum calificat hanc propositionem «Beatus Gregorius fuit Papa» tamquam sequela ex hac praemissa de fide «qui fuerit canonice electus est verus Papa», et ex hac «sed Gregorius fuit canonice electus», de qua dicit quod rationabiliter negari non potest. Et tandem idem iudicat esse sentiendum de hac propositione «hic est verus Papa» quod de hac «haec hostia est consecrata».

14 (n). *Vega,* In Concilium Tridentinum lib. 9 in cap. 9 cap. 39 (38), ait duas propositiones «hoc Concilium est legitime congregatum» et «hic Papa est rite et canonice electus» non esse revelatas, sed evidenter cognitas; et loquitur de evidentia morali, ut patet.

15 (ñ). *Palacios,* 3 Sententiarum dist. 24 disp. 2 ad 6 argumentum (39), ait: «quamvis non est de fide, hunc esse Papam, at de fide est, quamdiu ab Ecclesia toleratur ut Papa, gesta illius habere papalem vigorem».

16 (o). Eamdem sententiam tenet *Occam,* in 2 Dialogorum tomo, qui dicitur Axiomata christiana lib. 2 art. 6 cap. 12 (40).

17 (p). Et *Hieronymus de la Rua,* controversia 3 Ecclesiae fol. 120 § 4 (41).

18 (q). Idem late probat *Enriquez,* De Pontifice lib. 2 cap. 19 § 3 (42).

19 (r). Idem docet *Frater Franciscus Ovando,* 3 Sententiarum dist. 27 prop. 22 in fine (43), ubi adducit exemplum Stephani Papae, sicut Cardinalis Bellarminus.

(ll) Ms al margen 2 *De haeresibus cp.* 9.
(m) Ms *12*
(n) Ms *13*
(ñ) Ms *14*
(o) Ms *15*
(p) Ms *16*
(q) Ms *17*
(r) Ms *18*

---

(37) A. CORDUBA, *Quaestionarium theologicum* lib. 1 q. 17 (Venetiis 1569) p. 151.
(38) A. VEGA, *De iustificatione doctrina universa* lib. 9 cp. 39 (Coloniae 1572) fol. 290.
(39) M. PALACIOS, *In 3* dist. 24 disp. 2 ad 6 (Salmanticae 1577) p. 245.
(40) No hemos logrado ver estas citas.
(41) HIERONYMUS DE LA RUA, *Controversiae theologicae partim positivae partim scholasticae* contr. 3.ª scholast. (Romae 1584).
(42) H. ENRÍQUEZ, *De Pontifice* 2, 19, 3.
(43) FR. OVANDO, *In 4* dist. 27 prop. 22 (Matriti 1587).

20 (s). Hos sequitur *Sainctes*, De Eucharistia repetitione 9 cap. 4 (44), et maxime Caietanum, quem refert.

21 (t). *Magister Mendoza*, in suis Quaestionibus Quodlibeticis q. 4 scholastica in solutione ad tertium argumentum (45), probat quod conclusio deducta ex una de fide et altera evidenti non pertinet ad fidem. Et in manuscriptis 2.2 q. 1 a. 20 hanc sententiam ex professo defendit.

22 (u). *Báñez*, 2.2 q. 1 a. 20 dub. 2 ad 2 (46), idem expresse tenet.

23 (v). Hos sequitur *Magister Aragón*, 2.2 q. 1 a. 3 in solutione ad quartum argumentum D. Thomae (47), licet infra, a. 10 in tractatu de Conciliis dubio principali ad tertium principale, postquam probaverat hoc Concilium esse legitimum secundum fidem, subdit: «eadem ratione probari potest Gregorium XIII esse verum Pontificem et baptizatum»; quibus verbis clare insinuat utramque sententiam esse probabilem.

[F. 45v] 24 (x). Idem tenet *Simancas* (48), in Enchiridio de haereticis cap. 25, 26, 42 et melius 54, et lib. De institutionibus catholicis tractatu 12 n. 10.

25 (y). Idem tenet *Thomas Stapletonius* 1 tomo Controversiarum quaestione controversa 3.ª q. 4 ad 5 argumentum (49), eisdem verbis quibus Bellarminus.

Eandem sententiam defendunt multi Doctores (z), tam theologi quam canonistae, qui circa illam trivialem quaestionem «an, si Papa inciderit in haeresim, sit ipso facto depositus, an non», tenent partem affirmativam. Ex consequenti enim tenentur asserere non esse de fide, hunc esse Papam. Cum enim incidit in haeresim secretam, ipso facto desinit esse Papa; et tamen universalis Ecclesia ita acceptat eum ut verum Papam ac antequam

(s) Ms *19*
(t) Ms *20*
(u) Ms *21*
(v) Ms *22*
(x) Ms *23*
(y) Ms *24*
(z) Ms tachado *innumeri*

(44) CL. DE SAINCTES, *De rebus Eucharistiae controversis repetitiones* rep. 9 cp. 4 (Parisiis 1575).
(45) A. DE MENDOZA, *Quaestiones Quodlibeticae* q. 4 schol. ad 3 (Salmanticae 1588).
(46) D. BÁÑEZ, *In* 2.2 q. 1 a. 10 (Duaci 1615) p. 63.
(47) P. ARAGÓN, *In* 2.2 q. 1 a. 3 (Salmanticae 1584).
(48) I. SIMANCAS, *Institutiones catholicae* tr. 12 n. 10. *Enchiridion de haereticis* 25s, 42, 54.
(49) TH. STAPLETON, *Principiorum fidei doctrinalium relectio scholastica et compendiosa per controversias quaestiones et articulos* (Antuerpiae 1596) contr. 3 q. 4 ad 5.

in haeresim laberetur. Ergo universalis illa Ecclesiae acceptatio non probat id esse de fide. Ex theologis, inter alios, hoc tenet *Turrecremata* lib. 2 cp. 102 et lib. 4 p. 2 cp. 9; *Ancona*, De potestate Ecclesiae q. 5 a. 2; *Sylvester* verbo Papa § 7; *Driedo*, De libertate christiana cap. 14. Ex canonistis, *Simancas* ubi supra cap. 29; et fere omnes, ut constat ex his quae adducit *Iacobatius* lib. 3 De concordia a. 2 et lib. 9 a. 1 (50).

Ex his quatuor praeiactis fundamentis manifeste quatuor sequuntur conclusiones.

Prima est: quatuor sequentes propositiones sunt fide catholica tenendae, non opinative, sed absolute; unde illarum contradictoriae sunt haereticae:

Prima est: Christus Dominus instituit D. Petrum Ecclesiae caput verumque sui vicarium.

Secunda: Petrus habet successorem, qui Papa est totius Ecclesiae.

Tertia: In Ecclesia residet potestas eligendi hunc Papam, et legitime electus verus est Petri successor et Christi Domini Vicarius.

Quarta: Romanus Pontifex fuit semper et est modo verus Petri successor.

Secunda conclusio, quae etiam ex dictis sequitur: Haec propositio «Clemens VIII est legitime electus Romanus Pontifex et ideo est Petri successor verusque Christi Domini Vicarius» ita certa est et indubitabiliter amplectenda, quod nefas esset illam in dubium revocare, et tandem eius contradictoria est formaliter schismatica, sapiens haeresim, erronea et scandalosa.

Tertia conclusio: Haec propositio «Non solum est verum et indubitabile, sed etiam fide catholica tenendum, quod hic Pontifex, videlicet Clemens VIII, est verus Papa» est vera et secundum probabilem sententiam amplectenda.

Quarta conclusio, manifeste etiam probata, qua specialiter respondetur ad quaestionem: Praedicta sententia, quae asserit de fide esse hunc esse Papam, est de fide opinative, non autem abolute; et ideo nequit (a) contraria gravi aliqua censura notari. Unde si aliquis quaerat, estne de fide quod Clemens VIII sit verus Papa, respondere poteris affirmative, de fide est. Et si adhuc quaerat, est fide catholica tenendum quod sit de fide,

(a) Ms *nequi*

(5c) I. DE TORQUEMADA, *Summa de Ecclesia* lib. 2 cp. 102; lib. 4 p. 2 cp. 9; AUGUSTINUS TRIUMPHUS, *Summa de potestate ecclesiastica* q. 5 a. 2; SYLVESTER PRIERAS, *Summa Summarum* «Papa» (Lugduni 1585); I. DRIEDO, *De libertate christiana* lib. 1 cp. 10; I. SIMANCAS, *Institutiones catholicae* cp. 29; D. IACOBATIUS, *De concordia* 3, 2; 9, 1.

necessario respondebis negative. Quia tot gravissimi (b) doctores, quos Ecclesia tanti habet, contrariam sententiam amplectuntur. Immo et ipsi, qui opinantur esse de fide, expresse testantur contrariam sententiam esse probabilem, ut Gregorius de Valentia in Analysi catholica lib. 7 cap. 13 in sol. ad 4, et 2.2 disp. 1 q. 2 puncto 7 (51).

Per haec patet *solutio ad rationes dubitandi* positas in capite quaestionis. Quae solum convincunt intentum, loquendo de illa propositione «hic pontifex non est verus Papa»; non autem te modali illa «non est de fide, quod hic est verus Papa». Et quamvis verum sit quod, secundum nostram probatam sententiam quae asserit id esse de fide, contradictoria illius deberet esse haeretica, tamen cum nostra sententia non sit de fide, sed sub opinione doctorum, consequenter etiam debet esse sub opinione contradictoria illius; quod quidem universaliter contingit in controversiis quibus quaeritur an hoc vel illud sit de fide, quibusdam id affirmantibus, quibusdam negantibus; quae sunt innumerae. Propter quod nullus doctorum, qui defendunt hanc esse de fide «hic est verus Papa», oppositam sententiam gravi aliqua censura ausus est notare. Quod si fecisset, magnam quidem irrogaret iniuriam Sedi Apostolicae, ad quam solum spectat praedictas lites dirimere, dubia fidei definire et definitis censuram adhibere, ut cum catholicis omnibus eleganter fatetur B. Cyrillus, relatus a D. Thoma in 4 dist. 24 q. 3 a. 2. Ait ergo Sanctus Pater: «Ut membra maneamus in capite nostro Apostolico throno Romanorum Pontificum, a quo nostrum est quaerere quid [F. 46r] credere et quid retinere debeamus, ipsum venerantes, ipsum rogantes prae omnibus, quoniam ipsius solius est reprehendere, corrigere, statuere, disponere, solvere et ligare loco illius, qui ipsum aedificavit» (52). Hactenus Cyrillus; et hactenus de prima propositione.

[4] 2.ª *propositio*

Generale Concilium errare non potest, immo nec maior eius pars, ante confirmationem Papae

Circa propositionem hanc est *valde notandum*, longe aliud esse asserere quod generalis Concilii definito est credenda vel acceptanda ut in-

(b) Ms *gravissimos*

(51) GREGORIUS DE VALENTIA, *Analysis fidei catholicae* lib. 7 cp. 13; *In* 2.2 disp. 1 q. 2 p. 7.

(52) Cf. S. THOMAS, *In* 4 dist. 24 q. 3 a. 2 q. 3.

fallibilis ante confirmationem Papae, et quod generalis Concilii definitio est infallibilis ante confirmationem.

Prima enim propositio est falsa, et, ut aliquibus placet, gravi aliqua censura digna propter auctoritatem multorum Conciliorum, quae referunt Turrecremata lib. 3 Summae cap. 34 (53), et Castro De punitione haereticorum lib. 1 cap. 6 (54), cui suffragatur cap. Regula dist. 17 (55). Et potissima huius veritatis ratio est, quia Concilium legitimum non potest errare in fide, cum universalem Ecclesiam repraesentet; sed absente Papa nunquam constabit esse legitimum, donec confirmetur, quia tunc Concilium legitime procedit quando legati nihil proponunt nisi quod fuerit sibi a Summo Pontifice concessum et quando servat ordinem ab ipso praefixum; aliter Concilium non celebratur auctoritate Papae. Et quoniam finito Concilio posset quis dubitare fueritne auctoritate Papae celebratum necne, requiritur quod eius accedat confirmatio, ut indubitabiliter constet Concilium recte processisse ac eius decreta sint habenda de fide.

Secunda vero propositio, de qua impraesentiarum agimus, est omnino vera; et tantum abest quod gravem aliquam mereatur censuram, quod fortassis eius contradictoria non aliqua careret temeritate. Quia alias, si legitimi generalis Concilii definitio non esset infallibilis in se, sed hoc haberet a confirmatione, *sequeretur* quod legitimum generale Concilium, quod universalem Ecclesiam repraesentat, posset errare in fidei definitionibus; quod est impium.

Secundo sequeretur non habere infallibilitatem ex Spiritus Sancti assistentia, nec Concilii Patres veros esse fidei definitores sed Papae consultores; quod est plus quam falsum et contra torrentem Patrum et doctorum, et arroganter ac magna cum temeritate verba illa usurparent Patres «Generale Concilium in Spiritu Sancto legitime congregatum etc.; visum est Spiritui Sancto et nobis etc.»

Et tandem sequeretur nullum esse discrimen inter Concilium generale et provinciale; quod est absurdum. Et patet sequela, quia nullam aliam hactenus doctores essentialem invenerunt rationem differentiae, nisi quod provinciale Concilium errare potest quia non repraesentat universalem Ecclesiam, generale autem nequit errare. Immo sequeretur nullum esse discrimen inter definitionem generalis Concilii et cuiusdam specialis doctoris; quia si haec stabiliretur a Papa de fide, acceptanda esset ut talis a fidelibus.

---

(53) I. DE TORQUEMADA, *Summa de Ecclesia* lib. 3 cp. 34.
(54) A. DE CASTRO, *De iusta haereticorum punitione* lib. 1 cp. 6.
(55) CIC Decr. I, 17. 2. (RICHTER 1, 45).

Igitur plurimum interest inter has duas propositiones «Concilii universalis decreta sunt acceptanda ut infallibilia ante confirmationem» (de qua impraesentiarum nihil agitur), et hanc «Concilii universalis decreta sunt (c) infallibilia ante confirmationem» (de qua est sermo).

Nec sententia Turrecrematae, asserentis lib. 3 cap. 6 et 8 et 58 generale Concilium posse errare ante confirmationem, est admittenda, quia contra torrentem doctorum; sed explicanda de generali Concilio, in quo legati abutuntur facultate Papae. Quod patet ex verbis ipsius eodem libro cap. 64, ubi affirmat quod, si in Concilio evenerit Patres aliter sentire quam Papa in materia fidei, tenebitur (d) hic Papa mutare sententiam et Patrum sequi iudicium. Ergo infallibilitas Concilii non provenit a confirmatione.

Bene tamen ab illa oritur indubitabilis ratio credendi quod tale Concilium legitime processerit. Et ideo non tenentur fideles eius decreta ut infallibilia acceptare, donec supremus Ecclesiae praesul et iudex illa confirmet, praecipiat et fidelibus credenda proponat.

Cuius pedibus quae dicta sunt libentissime subicimus.

(c) Ms *sint*
(d) Ms *rebitur*

II

[PARECER DEL P. ESTEBAN DE HOJEDA]

[F. 56v] *En que se tracta si tiene alguna censura esta proposición «Non est de fide hunc numero hominem esse Summum Pontificem».*

[F. 49r] La verdad o falsedad (a), que tiene esta proposición «Non est de fide hunc numero hominem esse Summum Pontificem», y si meresce alguna censura o no, constará fácilmente por esta de presente «Hic numero homo est Summus Pontifex». Porque si ésta no es de fe, aquella será verdadera y no merescerá censura ninguna; y si ésta es de fe, aquella será falsa y merescerá censura. De la manera que decimos, que esta proposición modal es verdadera «Non est necesse Petrum currere» porque la de presente (que llaman los dialécticos de inesse) «Petrus currit» no es necesaria sino contingente. Y por eso esta es verdadera «Necesse est hominem esse animal», porque esta de presente «Homo est animal» es necesaria. Al mismo modo (b), *la verdad de aquella «Non est de fide hunc numero hominem esse Summum Pontificem» la hemos de colligir desta «Hic numero homo est Summus Pontifex»*. Veamos, pues, la verdad y qué censura se le puede dar a ésta, de donde se colligirá lo que hemos [de] decir de la otra.

Digo que esta proposición «Hic numero homo est Summus Pontifex» *puede tener* dos sentidos. Porque su subiecto se puede tomar en dos maneras. O que por «hic homo» entendamos este subiecto y individuo eo ipso quod est electus in papam et sit papa, sit de fide quod sit Summus Pontifex; o podemos entender debajo deste término «hic homo» non

---

(a) *o falsedad* añadido al margen con llamada
(b) Ms *al mismo modo* añadido en el M, sobre la línea habiendo tachado *luego*

solum quod sit electus in papam, verum etiam quod sit canonice electus et receptus ab Ecclesia, et exercuerit actus papales.

[*Primer sentido de la proposición*]

Primo modo sumpta illa propositio «Hic homo numero est Summus Pontifex» *non est de fide*; atque adeo ista erit vera «Non est de fide hunc numero hominem esse Summum Pontificem», neque est digna aliqua censura. Quod autem non sit de fide quod hic numero homo sit Summus Pontifex, abstrayendo de si est canonice electus o no, sino tractando solamente del eo ipso quod est electus in papam, lo pruebo por testimonios [F. 49v] de gravísimos autores y con razones muy fuertes.

[1.º] Lo primero ab auctoritate negative. Porque, aunque éste no suele ser argumento eficaz, pero en esta materia y en estos tiempos, que tanto han dado los herejes en impugnar y enflaquecer la autoridad del papa y han escripto contra ellos tantos autores católicos, es de mucha fuerza y eficacia. No se dará autor ninguno, de cuantos han escripto hasta hoy, que diga y enseñe que la dicha proposición, entendida como hemos dicho, es de fe. Y que esto sea así, la prueba principal es pedir que señalen autor que lo diga; que es cierto que no se dará ninguno. Porque, aunque el P. Valencia y el P. Salmerón digan que est de fide, pero hablan claramente entendida la proposición en el segundo sentido, del papa que est canonice electus et est receptus ab Ecclesia etc., como consta de sus escriptos. Pero agora vamos hablando del que es elegido papa, abstrayendo, como está dicho, si fuit canonice electus o no; porque deste tal diremos infra (c).

Pruebo también lo mismo ab autoritate affirmative, por muchos y muy graves autores. El Cardenal Turrecremata, autor gravísimo, in Summa de Ecclesia lib. 4 p. 2 cap. 9 (1) tiene que no es de fe. Lo mismo el Cardenal Cayetano expresamente in 2.2 q. 1 a. 3 circa solutionem ad 4 (2). Lo mismo el Cardenal Bellarmino, lib. 4 de Pontifice cap. 12 (3). Lo mismo tiene Ioannes Maior, super Evangelia in fine q. 2 in Evangeliorum illustrationem n. 10 (4); et ponit exemplum in S. Damaso. Lo mis-

(c) Ms tachado *luego*

(1) I. DE TORQUEMADA, *Summa de Ecclesia* lib. 4 p. 2 cp. 9.
(2) T. DE VIO CAIETANUS, *In* 2.2 q. 1 a. 3.
(3) S. ROBERTUS BELLARMINUS, *De Summo Pontifice* lib. 4 cp. 12 n. 14.
(4) I. MAIOR, *In quatuor Evangelia expositiones luculentae cum quaestionibus et disputationibus adversus haereticos* q. 2 n. 10 (Parisiis 1529).

mo tiene Gersón, qui interfuit Concilio Constantiensi, alphabeto 14 littera f. (5). Lo mismo tiene Vega, lib. 9 in Concilium Tridentinum cap. 39 (6). Lo mismo tiene Alphonsus de Castro, lib. 1 Contra haereses cap. 9 et lib. 2 De iusta haereticorum punitione cap. 24 (7). Lo mismo tiene Cordova, lib. 1 sui Quaestionarii q. 17 § 2 (8). Lo mismo tiene Driedo, lib. 1 De libertate christiana (9) cap. 14 (d). Lo mismo Almainus, de auctoritate Ecclesiae cap. 10 ad finem (10). Lo mismo tiene Michael de Palacios, in 3 dist. 24 disp. 2 ad 6 (11). Lo mismo tiene Rodericus de Osma Delgado, lib. 3 De auctoritate Sacrae Scripturae cap. 13 (12). Lo mismo tiene Paulus Grisaldus, perusinus, in suis Catholicis Decissionibus, verbo adoratio numero 4 (13). Lo mismo tiene Aragón, 2.2 q. 1 a. 3 circa solutionem ad 4 (14). Dominicus Báñez tiene lo mismo expresse 2.2 q. 1 a. 10 in prioribus commentariis dub. 2 ad 2 (15), ut patebit clare legenti, quidquid modo dicat idem auctor (16). Lo mismo tiene Cano, lib. 6 De locis cap. ultimo, § Verum et id postremo (17), quamvis verbis non expressis; aperte tamen colligitur ex eius dictis. Lo mismo tiene Hieronymo de la Rua controversia 3 scholas[F. 50r]tica § Quartae demum rationi (18). Lo mismo tiene Sanctes, repetitione 9 de Eucharistia cap. 4 paulo post medium (19). Lo mismo tiene Petrus de Bollo, dominicanus, in Oeconomia canonica 3.ª classe (20). También tienen lo mismo muchos autores juristas. Arnaldus Albertinus, in tractatu de agnoscendis assertionibus catholicis et haereticis q. 5 (21). También Simancas in

(d) Ms *4*

(5) I. GERSON, *Compendium theologiae*, alphab. 14.
(6) A. VEGA, *De iustificatione doctrina universa* lib. 9 cp. 39.
(7) A. DE CASTRO, *Adversus haereses* lib. 1 cp. 9; *De iusta haereticorum punitione* lib. 2 cp. 24.
(8) A. CORDUBA, *Quaestionarium theologicum* lib. 1 q. 17.
(9) I. DRIEDO, *De libertate christiana* lib. 1 cp. 14.
(10) I. ALMAINUS, *De auctoritate Ecclesiae seu Sanctorum Conciliorum eam repraesentantium* cp. 10.
(11) M. PALACIOS, *In* 3 dist. 24 disp. 2 ad 6.
(12) R. DOSMA DELGADO, *De auctoritate S. Scripturae ac ea introductorum* cp. 13.
(13) P. GRYSALDUS, *Decissiones fidei catholicae et apostolicae* «Adoratio» n. 4.
(14) P. ARAGÓN, *In* 2.2 q. 1 a. 3.
(15) D. BÁÑEZ, *In* 2.2 q. 1 a. 10.
(16) Se refiere al acto de Valladolid a 2 de Julio de 1602, en el que Báñez explicó su doctrina de otro modo.
(17) M. CANO, *De locis theologicis* lib. 6. cp. 8.
(18) HIERONYMUS DE LA RUA, *Controversiae theologicae* contr. 3 schol.
(19) CL. DE SAINCTES, *De rebus Eucharistiae controversis repetitiones* rep. 9 cp. 4
(20) P. DE BOLLO, *Oeconomia Canonica, seu de sanctissimae catholicae Christi familiae ministrorum officio et conservanda ubique maiorum ecclesiastica disciplina* cl. 3.ª
(21) ARNALDUS ALBERTINUS, *De agnoscendis assertionibus catholicis et haereticis* q. 5.

Catholicis Institutionibus tractatu 54 n. 10 (22). No refiero aquí las palabras de todos estos autores por no ser demasiadamente largo. Pero todos los referidos tienen esta sententia, unos expressis verbis, y otros se collige de lo que dicen abiertamente. Pues si no hay ningún autor que diga que aquella proposición es de fe, y hay muchos que digan que no lo es, no es digna de censura.

Confirmatur, quia (e) éste ha sido unánime consenso siempre de todos los teólogos, y esta doctrina se ha defendido siempre en todas las universidades, en Salamanca, Alcalá y en todas las demás. Y no es de creer que, si aquella proposición fuera de fe, la hubieran ignorado tanto tiempo tantos hombres tan doctos, como ha habido en todas las universidades. Luego no se debe tener por de fe.

[2.º] *Lo segundo,* todos los autores que tienen y admiten que el papa puede ser hereje como persona particular y que en siendo hereje, aunque sea oculto, eo ipso iure divino est privatus papatu (que son estos muchos y muy graves), teniendo este caso por posible, ex consequenti tienen que illa propositio non est de fide; pues puede faltar. También todos los que admiten que puede ser uno eligido por papa que no sea baptizado, que sea infiel, o que sea femina (como algunos tienen que de facto ha subcedido ya en la Iglesia, lo cual es falso) (f), estos autores, que casi son todos los que tractan desta materia, ex consequenti han de tener que non est de fide hunc numero hominem esse Summum Pontificem; pues admitidos los dichos casos, es cosa llana que tienen que illa propositio non est infallibilis veritatis.

[3.º] *Lo tercero* porque la razón formal de la fe est revelatio divina, la cual nos consta por una de cinco vías o lugares en la teología, y por ellos probamos una proposición ser de fe. La una y más principal, si está revelada en la Sagrada Escriptura. La segunda si está definida en algún Concilio confirmado por el Papa. La tercera si nos consta ser tradición de la Iglesia. La (g) cuarta si está definida de fe por algún Summo Pontifice. La (h) quinta si se tiene en la Iglesia ex communi consensu Ecclesiae et Sanctorum Patrum. No tenemos otro medio ni modo en la teología ni en la Iglesia para probar que una proposición [F. 50v] o doctrina

(e) Ms *Confirmatur quia* añadido al margen.
(f) Ms tachado *todos*
(g) Ms lo
(h) Ms lo

(22) I. SIMANCAS, *Institutiones catholicae* tr. 54 n. 10

sea de fe, sino uno destos cinco. Verum sic est, que por ninguno destos medios se puede probar quod (i) sit de fide quod hic numero homo sit Summus Pontifex. Ergo non est de fide hunc numero hominem esse Summum Pontificem. *Lo primero,* cosa llana es que no está revelado en la divina Escriptura quod hic vel ille homo sit Summus Pontifex; de solo divo Petro est hoc revelatum in Scriptura. *Lo segundo*, que esto no lo tengamos por tradición de la Iglesia que iste vel ille sit Summus Pontifex, constat aperte; nam ubi est talis traditio, quam a maioribus nostris nunquam accepimus? *Lo tercero*, que esto no está definido en algún Concilio, patet etiam; nam ubi est talis definitio?; non dabitur. *Lo quarto,* no hay decreto de pontífice que lo determine, ni se dará. Y si alguno dixere que hay uno de Martino V en una bulla suya (quae habetur tomo quarto Conciliorum ad finem Concilii Constantiensis) (23), in qua damnat errores Wiclef et Ioannis Hus, inter quos unus erat quod non esset credendum, papam, etiam canonice electum, qui pro tempore fuerit, eius nomine expresso, esse successorem Petri etc.; ecce quomodo Martinus damnat hunc tamquam errorem, dicere hunc numero hominem non esse verum successorem Petri neque Summum Pontificem; a esta objectión se responde en dos maneras. Lo primero, que en aquella bulla condemna Martino V muchos errores de aquellos herejes, pero no con una misma censura; unos condemna por temerarios, otros por errores, otros por herejías; y no dice en particular con qué censura condemna el presente, si por herejía o por temeridad; y así no podemos afirmar con certidumbre que haya definido aquella proposición por de fe y su opuesta por herejía. Lo segundo digo que el pontífice habla allí del que consta quod sit canonice electus, como consta de la misma letra; y agora no vamos hablando sino de que est electus, abstrayendo, como dicho es, de si est canonice electus o no. Y hase de advertir, que aquellos herejes negaban la subcesión de San Pedro en los papas y el primado de la Iglesia, y este era su intento, y por eso los condemna, porque este es error y herejía manifiesta. *Lo quinto y último,* que esto no sea de fe por ser ex unanimi consensu Ecclesiae et Sanctorum Patrum, es cosa clara. Nam ubi est talis consensus, quem nunquam audivimus neque vidimus, immo totum contrarium, ut [F. 51r] ex auctoritate tot ac tantorum doctorum supra probavimus? Luego en ninguna manera, ni por ningún principio se prueba ni puede probar que esta proposición «hic numero

(i) Ms tachado *hic numero homo*

(23) HARDUIN, *Acta Conciliorum* 8, 915.

homo est Summus Pontifex» sea de fe, ni se haya de tener por tal, neque per se primo, neque per se secundo.

Y aunque sea alguna digresión, me paresce advertir aquí, que esta distinctión, que algunos han usado estos días (de fide per se primo y per se secundo) (24) es nueva y que nunca la usaron los doctores antiguos hablando propiamente (j) y formalmente de fide. Porque la razón formal de fe est revelatio divina; y en esta razón formal no hay per se primo revelatum y per se secundo. En siendo una proposición revelada, qualquiera que sea, tan revelada es y tan de fe como la más principal; y no hay en esta razón formal más revelado ni menos revelado, ni primo ni secundo, ut constat aperte. Solamente cognoscieron los antiguos y usaron de aquella distinctión en el obiecto de la fe, en las mismas cosas que se creen, quod quaedam credibilia dicta sunt per se primo ad fidem pertinere, quia conducunt maxime ad vitam aeternam adipiscendam, como son mysterium Trinitatis, Incarnatio et Passio Christi Domini Nostri; alia credibilia dicta sunt secundaria vel minus principalia, como que David habuit fundam et quod Thobias habuit canem. Pero en razón formal de fe, tan de fe son las unas como las otras, y no hay razón por que la una se diga de fe per se primo y la otra per se secundo. Y si quieren decir estos modernos que se llame de fide per se primo la que es inmediatamente revelada y per se secundo la que se collige en buena consequentia de la revelada o reveladas, esto es hablar impropiamente. Porque la que así se collige per consequentiam no se dice hablando propiamente propositio de fide; quia non est revelata, et ratio formalis fidei est revelatio, ut dictum est. Verum dicetur conclusio theologica et sapiens fidem.

[4.º] *Lo cuarto* (y esta es una razón muy fuerte), lo que es de fe y se ha de tener y creer por tal ha de ser infallibilis veritatis, cui nullo modo neque unquam possit subesse falsum. Pues esta proposición «hic numero [F. 51v] homo (demonstrato electo in papam) est Summus Pontifex» non est infallibilis veritatis, quia multis modis et viis potest illi subesse falsum. Ergo non potest esse de fide. Ergo neque haec est de fide «hunc numero hominem esse Summum Pontificem». La mayor deste silogismo es cierta de fe; y pruebo la menor, que non sit infallibilis veritatis ya que puede haber muchas falentias y casos en que sea falsa. *Lo primero,* porque puede ser uno eligido por papa que no sea baptiza-

(j) Ms añade tachado después *in ratione formali fidei*

(24) Alude a la distinción propuesta por Báñez en el acto de Valladolid. Véase el texto de su conclusión en el documento III nota 4.

do, que sea femina et fingat se virum; también puede ser hereje como persona particular, ut multi ac graves autores admittunt; también puede ser que non habeat characterem ordinis y que no sea sacerdote (quae est conditio requisita essentialiter in illa dignitate et primatu propter potestatem ordinis quam habet), porque pudo ser que el que le ordenó no tuviese intención de ordenarle. Pues, ¿cómo puede ser infallibilis veritatis propositio, cui tot modis et in tot casibus potest illi subesse falsum?

Praeterea id probo ex ipsamet electione, en la cual es muy posible que haya muchas nulidades por muchos defectos (k) que en ella puede haber que la hagan nula. Lo primero, si no vinieren en una persona los (l) votos de las dos partes de cardenales, como consta de un decreto de Alejandro III in Concilio Lateranensi, et refertur cap. licet de electione (25); donde se define que aliter facta electio sit nulla. Y en esto es cosa cierta que puede haber engaño, pensando que vienen en la elección de uno las dos partes y no ser así, así en los que regulan los votos (que como hombres se pueden engañar y apasionar), y también puede ser que alguno de los votos con que se cumplen las dos parte sea voto inhábil (como si fuese mujer, o si tuviese algún otro impedimento canónico, v. gr., de suspensión, iuxta cap. cum inter de electione § ideoque causam) (26), y así podría ser uno eligido por papa, al parescer canónicamente, y no serlo. Pues de lo dicho formo esta razón: no puede ser uno verdadero Sumo Pontífice si non sit legitime et canonice electus; verum quod iste vel ille sit canonice electus non potest esse de fide, porque, como la elección y modo de hacerla no es de iure divino sino de iure humano positivo, puede haber en ella muchas falentias y engaños (como los que hemos dicho y luego veremos otros); luego, ¿como esta proposición quod «hic numero homo [F. 52r] sit verus Summus Pontifex» puede ser infallibilis veritatis, pendiendo de que sea eligido, y pudiendo haber tantos defectos en la elección que la hagan nula, como está dicho? Luego esta «hunc numero hominem esse Summum Pontificem» non potest esse de fide.

Praeterea (y ésta es una razón muy fuerte) puede acontescer que la elección de algún papa sea simoníaca, y siéndolo es nula, como lo dice Julio II en una constitución suya, que está tomo 5 Conciliorum in Concilio Lateranensi sub Iulio sess. 5.ª (27), donde determina que la tal elec-

(k) Ms corregido de *cosas*
(l) Ms coregido de *las dos*

(25) CIC Decr. Greg. I, 6, 6 (RICHTER 2, 49).
(26) CIC Decr. Greg. I, 6, 16 (RICHTER 2, 55).
(27) Conc. Lateranense V sess. 5 (HARDUIN, 9, 1657-1659).

ción, que así fuere simoniaca, sit irrita nullius valoris, aunque sea hecha por las dos partes de cardenales y aunque sea unanimi consensu, y aunque esté ya adorado por papa puede cualquiera de los cardenales poner excepción y oponer que la tal elección fué simoniaca y probándolo se da por írrita y nula. De aquí saco que este pontífice tuvo por caso contingente y posible que puede ser uno eligido por papa simoníacamente, pues hizo constitución para remedio deste caso; que si no fuera posible, no había menester hacerla. Luego puede ser uno eligido y habitus pro papa, y no serlo.

También puede entrevenir en la tal elección metus cadens in constantem virum; y siendo así, será írrita y nula, como consta de un decreto del Concilio Constantiense sess. 39 (28), el cual decreto confirmó después Martino V, como lo refiere Platina en su Vida (29).

Praeterea, ut electio sit firma et sortiatur suum effectum, necesse est ut electus consentiat electioni de se factae, ut docet Castro De iusta haereticorum punitione cap. 23 (30), et Augustinus de Ancona De potestate Ecclesiae q. 4 a. 3 in corpore ad finem (31), et ipse usus manifeste hoc comprobat. Sed non est de fide quod electus vere consenserit, quia ex aliqua causa potuit exterius fingere consensum. Ergo neque erit de fide quod ipsa sit firma et rata, atque adeo quod neque ipse sit verus papa.

Cum ergo tot sint casus, in quibus ipsa electio potest esse nulla, quomodo potest haec propositio «hic homo numero est verus Summus Pontifex» esse de fide? Cum [F. 52v] sit res, quae pendet ex facti contingentia, pende de hecho en que puede haber tantos defectos y falentias, quae reddant electionem nullam. Y así, en hecho subiecto a tantos defectos, ¿cómo puede haber cosa firme y de fe cui non possit subesse falsum?

Ex his omnibus colligitur aperte, non posse esse de fide quod hic numero homo sit verus Summus Pontifex. Atque ita Baldus lib. finali codicis sententiam rescindi posse etc., dicit in haec verba: «princeps enim legitime electus est in terris deus, maxime papa; sed non legitime electus est diabolus in terris et apostata (79 d. cap. si quis), et non habet claves regni sed inferni». Sequitur ergo ex omnibus, non esse de fide hunc numero hominem esse Summum Pontificem.

---

(28) Conc. Constantiense sess. 39 (HARDUIN, 8, 857).

(29) B. PLATINA, *Liber de vita Christi ac de vitis Summorum Pontificum omnium* (Venetiis 1479).

(30) A. DE CASTRO, *De iusta haereticorum punitione* lib. 2 cp. 23.

(31) AUGUSTINUS TRIUMPHUS, *Summa de potestate ecclesiastica* q. 4 a. 3.

[5.º] *Quinto id probo,* quia si esset de fide hunc numero hominem esse Summum Pontificem, sequeretur nullum esse discrimen inter schisma et haeresim, neque posset quis esse schismaticus quin simul esset haereticus; quod est expresse contra D. Thomam 2.2 q. 89 a. 1 in corpore et in solutione ad 3, et contra omnes doctores qui docent posse aliquem esse schismaticum et non esse haereticum. Probatur sequela: quia si quis esset schismaticus eo quod insurgeret contra papam et divisus esset a capite, simul esset haereticus quia negaret vel saltem dubitaret de capite, et per consequens esset haereticus quia negaret illam propositionem vel saltem dubitaret. Si ergo esset de fide, esset simul schismaticus et haereticus, et non posset esse schismaticus quin esset haereticus. Quod est omnino falsum.

También *podríamos confirmar* esto mismo con exemplos de algunos pontífices, que habiéndolo sido algún tiempo y siendo rescebidos por tales, fueron rejectos de la silla y aun dados por no pontífices por otros subcesores suyos, como consta de las historias que tratan de Liberio y de Formoso, de quien cuenta el cardenal Bellarmino lib. 4 de Pontifice cap. 10 (32) que fué pontífice cinco años y más y después fué dado por no pontífice por dos subcesores suyos. Si ergo haec exempla vera sunt, ut credimus esse vera porque las traen gravísimos autores y historiadores, quomodo potest esse de fide hunc numero hominem esse Summum Pontificem? Quandoquidem in multis casibus et eventibus potest illi subesse falsum.

De todo lo que hasta aquí hemos traído y dicho infiero que non est de fide hunc numero hominem esse Summum Pontificem. Y así, siendo esta misma la proposición que está en las conclusiones de la Compañía y en los mismos términos, sin [F. 53r] poner exemplo en Clemente VIII ni en otro pontífice, y abstrayendo, como hemos dicho, de que sit canonice electus vel non, sino solamente eo ipso quod sit electus in papam, digo que es verdad decir que non est de fide, et ex consequenti que no es digna de censura alguna, sino la opuesta sería digna de censura en este caso. Y que los de la Compañía la entienden y la hayan defendido desta manera, constat aperte. Porque para probar la verdad desta proposición hacen recurso y lo prueban por la falta y defectos que puede haber en la elección; por los cuales puede ser nula la elección. Luego no suponen que sit canonice electus, sino que abstrahunt de canonica aut non ca-

(32) S. Robertus Bellarminus, *De Summo Pontifice* lib. 4 cp. 12 n. 13-17.

nonica elección, especialmente no habiendo puesto (ll) exemplo en ningún pontífice. Y así no se puede traer contra esto lo que dice Martino V en su bula, donde paresce que condena esto por error. Porque allí Martino V habla expresamente suponiendo que sit canonice electus, como consta de la misma bula a quien la leyere. Y aquí agora no hablamos sino del electo, abstrayendo de si est canonice electus o no, como está dicho (m).

Pero podría alguno poner esta obiección. Si non est de fide hunc numero hominem, electum in papam, esse Summum Pontificem, luego no será de fe lo que definiere. Porque si no es de fe que sea Sumo Pontífice, luego no es regla cierta y firme para definir cosas de fe. Y esto paresce que no se puede decir; porque ninguna cosa de las definidas por de fe en los Concilios y por Sumos Pontífices sería constante y cierto ser de fe. *Desto digo lo primero,* que de la providencia particular, que nuestro Señor tiene de su Iglesia, podemos esperar y confiar que no permitirá que la Iglesia resciba a uno por verdadero papa y que llegue a definir cosas de fe, que no sea verdadero papa y tenga todos los requisitos que para serlo tal se requieren. Pero porque esta respuesta se funda en piedad y no en rigor de doctrina, *digo lo segundo,* que aunque uno, que es tenido por indubitato papa, in rei veritate no fuese verdadero papa por alguna de las causas que arriba hemos dicho, si definiat, non errabit in definiendo por la asistencia del Espíritu Santo, que nuestro Señor tiene prometida a su Iglesia. Y así, aunque el instrumento fue[se] tal que no fuese verdadero papa, no definirá cosa que sea error, ni que la Iglesia yerre al creerlo, por la asistencia que tiene prometida a su Iglesia: «Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi» [Mt. 28, 20]. Como Caifás profetizó porque tenía lugar de pontífice. Así responden [F. 53v] muchos doctores muy graves a esta obiección, que tienen y defienden non esse de fide hunc numero hominem esse Summum Pontificem.

Otra obiección se suele hacer contra lo dicho desta manera. Si non est de fide hunc numero hominem esse Summum Pontificem, por la misma razón podemos decir que ni éste ni el otro, et sic de singulis, excepto divo Petro, de quo constat per divinam Scripturam. Y así no sería de fe, que ha habido ni hay subcesores de San Pedro en la Iglesia de Dios. Lo cual es manifiesto error y herejía. *A esto se responde,* que

---

(ll) Ms corregido de *por eso no pusieron*

(m) *como está dicho* corregido en el Ms entre líneas

como creemos de fe que ha habido y hay y habrá en la Iglesia de Dios verdaderos sacramentos, aunque no sea de fe que éste o el otro sacramento singular sea verdadero sacramento (v. gr. que este singular baptismo sea verdadero sacramento, ni esta Eucaristía en particular, por los defectos que pueden entrevenir), aunque en particular hay verdaderos sacramentos también quando tienen todos los requisitos que se requieren para serlo, aunque yo no lo sepa: así de la misma manera es de fe que en la Iglesia ha habido verdaderos subcesores de San Pedro y los habrá en el papado y primado de la Iglesia, aunque no sea de fe que éste singular o el otro lo sea, por ser contingente que éste o el otro non sit canonice electus o que le falte para serlo alguno de los requisitos que arriba hemos traído; aunque el singular que tuviere todos los requisitos será de fe que lo es.

Podría también alguno decir. Ya que la proposición como está en las conclusiones de la Compañía no meresca censura ninguna (por ser verdadera, como está muy probado, por no hablar del canonice electo ni poner exemplo en éste o en el otro pontífice), pero la proposición como está en las conclusiones de los doctores paresce que se ha de condenar, porque se entiende del que est canonice electus et receptus ab Ecclesia et exercuit actus pontificales, pues pone exemplo en Clemente VIII, en el cual concurren todos los requisitos, etc. *A esto respondo,* que a mi juicio tampoco la proposición de los doctores de Alcalá no meresce censura ninguna, como ellos la ponen y defienden. Porque, aunque ponen exemplo en Clemente VIII (como otros muchos autores que afirman la misma proposición no ser de fe ponen exemplo en los pontífices de su tiempo), no hablan suponiendo que sit canonice electus, ni que tenga todos los demás requisitos que se requieren, como hemos dicho, para que [F. 54r] quis sit verus Summus Pontifex. Sólo ponen exemplo en el pontífice que entonces es presente para explicar más en particular lo que entienden por «hic homo». Lo (n) mismo usaron los doctores de Alcalá poniendo exemplo en Clemente VIII. Verumtamen (ñ) abstrahunt, cum dicunt eam propositionem non esse de fide, ab eo quod sit canonice electus vel non, ni que tenga otros requisitos; sino eo ipso quod sedeat in sede Petri. Y que esto sea así pruébase claramente porque para probar aquella proposición «non est de fide hunc numero hominem, v. gr. Clementem VIII, esse Summum Pontificem», lo prueban recurriendo a los

(n) Ms tachado *abstrah*
(ñ) Ms antes repite *verumtamen* tachado

defectos que puede haber en la elección y en las faltas que puede haber de otros requisitos. Luego llanamente entienden la dicha proposición abstrayendo de todo esto. Y desta manera es cierto que non est de fide.

[*Segundo sentido de la proposición*]

Y para que esto se entienda mejor, vengamos a lo que al principio propuse, del segundo sentido que puede tener esta proposición «hic numero homo est verus Summus Pontifex»; porque hasta agora hemos tractado solamente en el primer sentido, que es abstrayendo de que sit canonice electus, sino que solamente sit electus et sedeat in cathedra Petri.

El segundo sentido que puede tener esta proposición es entendiendo debajo de aquel término «hic homo» que sea canónicamente electo et receptus ut talis ab Ecclesia. Si esta proposición «hic numero homo est verus Summus Pontifex, hic, inquam, numero homo canonice electus et receptus ab Ecclesia», si será de fe o no (o). Porque si ésta lo es (p), ésta será falsa: «Non est de fide hunc numero esse Summum Pontificem», tomada en el mismo sentido.

Para responder a esto digo, distinguiendo aquel término «canonice electus». O debajo de canónica elección entendemos solamente la forma que se tiene en el votar (que sea por (q) votos de las dos partes, y votos hábiles) solamente, o entendemos debajo de canónica elección no sólo la dicha forma, sino también todas las demás habilidades que se requieren conforme a derecho para que uno sea eligido.

Supuesta esta distinctión, *digo de lo primero,* que tomada esta proposición «hic numero homo est Summus Pontifex» entendiendo (r) por «hic homo canonice electus» en la primera manera que diximos y explicamos la canónica elección, digo que no es de fe la dicha proposición. Porque, aunque demos que quis sit canonice electus in papam (s) [F. 54v] et receptus ab Ecclesia, potest esse defectus et inhabilitas ex parte subiecti; quia potest fieri, ut supra diximus, quod eligatur femina, vel quod eligatur non baptizatus, vel non ordinatus etc. Luego cum hoc pendeat ex facto, in quo possunt esse tot defectus, sequitur manifeste quod haec propositio «hic homo numero (t) est verus Summus Pontifex», adhuc intelligendo

(o) Ms añade sobre la línea *o no*, después de tachar *esta proposición*
(p) Ms tachado *también lo será esta*
(q) Ms añade tachado *los*
(r) Ms añade tachado *de la fo*
(s) Ms añade tachado *sea por*
(t) Ms añade tachado *non*

de canonice electo eo modo quo explicuimus, non sit de fide; quandoquidem tot viis potest illi subesse falsum, quod in rebus quae sunt fidei non potest evenire (u). Atque adeo haec propositio «non erit (v) de fide hunc numero hominem esse Summum Pontificem», intelligendo de hoc numero homine canonice electo, erit vera et nulla censura digna.

Si autem intelligimus per canonicam electionem quod includat in se non solum formam votorum etc., sed etiam quod persona electa sit habilis ad papatum, ita ut (x) ex hac parte non sit defectus, in tali casu, digo (y), que ex suppositione quod eligatur habilis según derecho et canonice sit electus, ex tali suppositione posita, haec propositio «hic numero homo est verus Summus Pontifex» est de fide, y el que la negara sería hereje. Y de la misma manera esta universal «omnis electus canonice est verus Summus Pontifex», explicato illo termino «canonice electus» ut eum modo (z) explicuimus, erit de fide (a). La razón es porque de fe es que San Pedro fué Sumo Pontífice y tuvo el primado de la Iglesia, y que sus subcesores lo son y lo han de ser, y que el que verdaderamente lo fuere será Sumo Pontífice verdadero y tendrá el primado de la Iglesia, supposito quod eligatur habilis ad papatum et sit canonice electus. Luego suponiendo todos estos requisitos, así aquella universal como la singular serán de fe.

[*Conclusión*]

Verumtamen digo, que (b) hablando desta proposición «hic numero homo est verus Summus Pontifex» absolute et per (?) se y no suponiendo todos aquellos requisitos, non est de fide; atque adeo haec erit vera «non est de fide hunc numero hominem esse Summum Pontificem». La razón es porque esta proposición «hic numero homo est Summus Pontifex» se infiere y colige por este silogismo: omnis electus canonice in papam [F. 55r] est verus Summus Pontifex, sed hic numero homo est canonice electus, ergo hic numero homo est verus Summus Pontifex. Aunque demos que la mayor deste silogismo sea de fe explicada como arriba diximos, la menor no puede ser cierta de fe, ut constat. Luego ni

---

(u) Ms añade tachado *porque sunt infallibilis veritatis*
(v) Ms corregido de *est*
(x) *ita ut* corregido en el Ms de *et*
(y) Ms añade tachado *quod si supponamus aliquem electum in papam fuisse canonice electum et.* Sigue una palabra ilegible.
(z) *modo* añadido sobre la línea
(a) Ms añade tachado *verum*
(b) *digo que* añadido sobre la línea

la conclusión será de fe, pues conclusio debet sequi debiliorem partem. Luego en rigor esta proposición «hic numero homo est verus Summus Pontifex» no es de fe, y el que la negare será temerario (no habiendo razón y fundamento alguno de negar la menor), y será también escandaloso y schismático y también suspectus de haeresi, porque no habiendo razón de dubdar en la menor, sino que sea cierta scientia humana, paresce el que negase la conclusión en tal caso sería visto querer negar el primado de la Iglesia y que no hay verdaderos subcesores de San Pedro; que era el error de Wiclef y Ioannis Hus, contra los cuales es aquel decreo de Martino V de que arriba hecimos mención. Pero en rigor hablando et iuxta propriam significationem vocum, illa propositio, ut colligitur ex illo syllogismo, ut revera (c) colligi[tur] ex illo, non est de fide. Et per consequens esta «non est de fide hunc numero hominem esse Summum Pontificem» est vera y no meresce censura alguna, aunque se ponga exemplo en Clemente VIII o en otro cualquiera praeter divum Petrum. Porque aquella menor «Clemens VIII est canonice electus» non est de fide, sed solum certa certitudine humana. Y así, aunque los doctores de Alcalá hayan puesto exemplo en Clemente VIII afirmando aquella proposición «non est de fide hunc numero hominem, nempe Clementem VIII, esse Summum Pontificem», revera y en rigor es verdadera illa propositio (d) y no es digna de censura (e). Porque no dice sino que no es de fe, y esto es así; aunque sea temerario, escandaloso y schismático quien negase esta «hic numero homo, nempe Clemens VIII, est Summus Pontifex», et suspectus de haeresi, y como tal sería castigado (f). Pero ex tali negatione praecise no sería hereje, como está dicho.

Colligimus ergo ex his omnibus, nullo modo condemnandam esse hanc propositionem «non est de fide hunc numero hominem esse Summum Pontificem», aunque se ponga exemplo, etc., neque esse dignam censura aliqua.

[F. 55v] *Scio aliquos distinguere* in hac controversia duplicem potestamem in papa, alteram iurisdictionis, alteram ordinis. Y dicen que quoad potestatem iurisdictionis esse de fide hunc numero hominem esse Summum Pontificem; pero no quoad potestatem ordinis. La razón que debe mover al autor desta doctrina es parescerle que es inconveniente que el Sumo

(c) *ut revera* corregido sobre la linea de *et necessario dicendum est*
(d) *es verdadera illa propositio* corregido sobre la linea de *dixeron verdad*
(e) Ms tachado *aquella proposición*
(f) Ms añade tachado *como está dicho*

Pontífice no sea regla firme y cierta certitudine fidei in definiendis rebus fidei; y esto attinet ad potestatem iurisdictionis (g). *Pero a mi pobre juicio*, aunque sea verdad que estas dos potestades sean muy distinctas, pero quererse aprovechar desta distinctión para la dubda presente que se tracta para probar que quoad unam potestatem sit de fide et non quoad aliam, me paresce que no es a propósito, ni puede salir con su intento. Lo uno porque aquí tractamos de papa et de eius primatu ut includit in se essentialiter utramque potestatem; porque utraque potestas está incluída en el papa y en su primado; y quien tracta de papa, de la una y de la otra tracta. Y así, si ratione potestatis ordinis illa propositio non est de fide, esto basta para decir que non est de fide simpliciter (h). Lo otro porque, etiam si consideremus papam ut habet potestatem iurisdictionis, etiam ex hac parte non potest propositio esse de fide. Porque también en esta consideración corren las razones que arriba hemos hecho, de los defectos que puede haber en la elección, y puede acontescer que sea elección simoníaca, etc. (i), atque ex consequenti quod sit nulla. Y a la razón que le mueve o debe mover para decir que quoad potestatem iurisdictionis etc., ya he respondido arriba que, aunque no sea verdadero pontífice, podrá definir cosas de fe sin error, por la promesa que nuestro Señor tiene hecha a su Iglesia de la asistencia del Espíritu Sancto.

(g) *y esto attinet ad potestatem iurisdictionis* añadido entre líneas
(h) *simpliciter* añadido en Ms sobre la línea habiendo tachado *quare*
(i) Ms entre líneas tiene tachadas dos palabras que no hemos logrado leer

[Introductio]

[F. 1] Beatissime Pater.

Post debitum sanctorum pedum vestrorum osculum et religiosam ex toto corde obedientiam.

Duae propositiones, in hoc vestro Complutensi Theologorum Gymnasio propositae et assertae, ad vestrum Apostolatum sunt delatae, Pater Sanctissime, tamquam gravi nota dignae et rigida censura a catholica, cui praesidetis, Ecclesia relegandae. Prima est: *non est de fide hunc numero hominem, exempli causa Clementem VIII, esse verum Papam.* Secunda est: *Concilium generale rite congregatum sub obedientia Romani Pontificis, eiusque Legatis in illo praesidentibus, procedens, est infallibilis regula fidei et morum adhuc ante confirmationem Romani Pontificis.* Et ut vestra haec schola, quae semper fuit non modo in orthodoxa fide integra, verum etiam eiusdem sincerae et verae fidei munitissimum propugnaculum, quod vestra Apostolica Sedes saepius experta est, in antiqua illa sua, quam emeruit, existimatione inconcussa permaneat, animus est subiecto opusculo ostendere utramque illam propositionem catholicam et sanam doctrinam continere, et nulli earum iuste posse aliquam notam inuri. Quod sigillatim de unaquaque, peculiari agitata quaestione, praestabimus.

Verumtamen prius quam manum operi admoveamus, Pater Beatissime, quidquid in illo dixerimus, immo quidquid aliud proferimus et sentimus, omne id Vestro Apostolico iudicio submittimus, certi et securi, quod inde veritatis oracula et divina responsa suscipiemus, et in nos sicut in reliqua omnia membra Ecclesiae catholicae pietatis fluenta diffundentur. Testatum etiam cupimus Beatitudini Vestrae et omnibus, qui hoc nostrum opusculum perlegerint, nihil in illo nos con[F. 1v]tendendo aut proterviendo affirmare, sed sincero corde et religioso affectu; ut noster sit labor dis-

putationis, veritatis victoria, legentium utilitas, quae illo praestante qui linguas infantium facit dissertas, contemnenda non erit.

Iam ergo, divino Numine Vestraeque Beatitudinis roborati auspiciis quaestiones aggredimur, eodem, quo propositae sunt, ordine disputandas.

Quaestio prima

Utrum sit de fide hunc numero hominem, exempli causa (a) Clementem VIII, esse verum Papam.

[1] [Status quaestionis.] *Supponit haec quaestio,* Romanum Pontificem esse verum Papam et legitimum Petri Apostoli successorem in eadem primatus dignitate (b); quod est de fide certum, quidquid contra procaces et stupidi garriant haeretici, quos tam antiqui quam praesentis saeculi theologi gloriosissime debellarunt, non minus pie quam utiliter certantes. Quare de hac re nihil est nobis in praesentia dicendum.

[2] *Secundo supponendum est,* Sanctissimum Dominum nostrum Clementem VIII esse verum Papam. Quod apud omnes catholicos adeo certum est, ut qui oppositum affirmare auderet, in primis esset temerarius, utpote qui contra communem consensum Ecclesiae eumdem S. D. N. ut verum suum Papam et Caput suscipientem et adorantem sine aliquo vel apparenti saltem fundamento procaciter insurgeret. Secundo esset vere schismaticus, quippe a vero et indubitato Ecclesiae universalis Capite deficeret (c). Tertio esset de haeresi valde suspectus, quia cum indubitata sit eius canonica et legitima electio, non tam electionem quam electi potestatem, ac proinde legiti[F. 2]mam successionem Romanorum Pontificum in Petri cathedra merito praesumeretur negare. Et hinc quarto, si contumaciter proterviret, esset poena haereticorum puniendus. Igitur constantissimum est et prorsus indubitatum (d), S. D. N. esse verum Papam. Nec ex his, qui christiano nomine censentur, fuit unquam aut erit aliquis tam impio et scelerato animo tamque (e) veritatis et christianae pacis inimico, qui hanc veritatem non dicam negare, sed neque in dubium aut disputationem aliquo modo revocare audeat. Immo si quis in talem impie-

---

(a) Gr *gratia*
(b) Gr *in eadem Petri dignitate primatus*
(c) Gr *deficiens*
(d) Gr añade *praedictum*
(e) Gr *tamquam*

tatem se praecipitem daret, obturarentur omnes catholicorum aures ne tam impiam et nefariam vocem audirent.

[3] *Tertio sciendum est,* S. D. N. non esse assumptum in exemplum in quaestione proposita ex aliqua peculiari ratione, quae in illo potius quam in aliis felicis recordationis praedecessoribus suis hanc quaestionem dubiam reddat. Nulla namque talis est, aut esse potest. Sed sicut theologi eandem quaestionem attigerunt subiecto exemplo in Pontifice sui temporis, aut alio, cuius primatus esset omnibus notorius et indubitatus, sic nos eadem (f) certitudine praedictum S. D. N. in exemplum adducimus. Cum enim quaestio sit de singulari Pontifice, an sit de fide certum esse verum Papam, res melius intelligitur subiecto exemplo in determinata nominataque persona.

[4] Hinc *quarto, sciendum est,* hanc quaestionem nequaquam posse procedere in primatu Divi Petri. Illum namque fuisse verum Papam et visibile Caput Ecclesiae ab eo tempore quo Christus Dominus, rediens iam ad Patrem, suam illi Ecclesiam regendam tradidit et illum suo loco sustituit, dicens *Pasce oves meas* (Io 21 [17]), de fide est ex eodem testimonio; et hanc supremam potestatem in Ecclesia exercuisse, etiam est de fide ex variis locis in Actis Apostolorum; et retinuisse usque ad mortem, est pariter certum ex communi sensu Ecclesiae, licet tempus suae mortis [F. 2v] et gloriosissimi martyrii non constet eadem fide. Petro igitur excepto, de quovis alio singulari Pontifice Romano quaestio proposita aeque procedit.

[5] [SENTENTIAE.] In qua, *prima sententia* est affirmans esse de fide quemvis singularem Romanum Pontificem, ac perinde etiam S. D. N. Clementem, esse verum Papam. Quam sententiam, quod ego noverim excusis auctoribus solus docuit *Gregorius de Valentia* lib. 7 Analysis fidei catholicae cap. 13 in solutione quarti argumenti (1). Quod nec absolute protulit, sed de illo tantum qui «*statuit aliquid in fide aut in moribus, quod ad universalem Ecclesiam pertineat*». Verba eius sunt. Quales vero sint, quos cum praestiterit Summus Pontifex relinquatur esse de fide

(f) Gr *eademque*

(1) GREGORIUS DE VALENTIA, *Analysis fidei catholicae* lib. 7 cp. 13 (Lutetiae Parisiorum 1610) p. 84: «Cum primum is, qui est electus Pontifex, statuit aliquid in fide aut moribus, quod ad universalem Ecclesiam pertineat, eo ipso est nobis certum de fide quod ille sit Pontifex legitimus, qui a Deo videlicet acceperit potestatem illam iurisdictionis primariam».

certum verum esse Papam, ipse postea exprimit paragrapho «deinde dicimus» (2). Non refero ne in his immorer, quae ad praesens institutum minus conferunt.

[6] *Fundamentum* huius auctoris est deductio ex duabus propositionibus de fide, hoc modo: «*quem Christus Dominus in his, quae vel ad fidem vel ad mores pertinent, ab universa Ecclesia audiri vult, is verus ac legitimus pastor Ecclesiae universae est*; *sed Pontificem ab Ecclesia legitimo modo electum, cum is aliquid ad universam Ecclesiam pertinens in fide aut in moribus statuit, audiri vult Christus Dominus ab universa Ecclesia; ergo verus ille pastor est universae Ecclesiae*». Maiorem praemissi discursus probat paragrapho sequenti ex illis testimoniis Mt 16 [18s], Lc 22 [32] et Io 21 [15s], in quibus astruitur primatus Petri. Paragrapho ulterius sequenti probat minorem assumptam ex illo ad Heb. 13 [17] ut *praepositos suos audiant*. Itaque ex hoc suo discursu existimat esse de fide, verum Papam esse quemvis singularem, qui aliquem Summi Pontificatus actum circa universam Ecclesiam exercuerit.

[7] *Secundo probari potest* eadem sententia ex bulla Martini V, qua damnat errores (g) Wicleff et Ioannis Hus et approbat damnationem eorumdem factam a Concilio Constantiensi [F. 3]. Habetur tomo 4.° Conciliorum ad finem eiusdem Concilii (3). Nam inter alia inquirenda a redeuntibus ab haeresi vel de illa suspectis, sic ait Pontifex: «*Item utrum credat, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, eius nomine proprio expresso, sit successor Beati Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei*». Ex quibus sic formari potest argumentum. Quicumque fidelis tenetur credere fide divina quod quilibet Papa canonice electus est verus Papa et successor Divi Petri; sed hic particularis, verbi gratia Clemens VIII, est canonice electus; ergo credendum est fide divina quod Clemens VIII sit verus Papa. Et *confirmatur* ponderando illud «*eius nomine proprio expresso*», quo satis indicatur non solum generaliter et quasi in confuso esse certa fide credendum quemcumque canonice electum

(g) Gr añade *Ioannis*

(2) «Deinde dicimus, non modo ex definitione fidei, sed etiam ex aliqua institutione circa mores, ad universam Ecclesiam pertinente (quales nempe fiunt a Pontificibus), colligi posse de fide quod aliquis sit verus Pontifex. Immo etiam ex dispensatione thesauri Ecclesiae per generalem indulgentiam sive iubilaeum... Quare non ita raro accidit, ut per fidem contest de vero Pontifice» (*Ib.*, p. 84s).

(3) El autor cita la edición de Surio. La bula aludida puede verse en HARDUIN, *Acta Conciliorum* 8, 905-918; las palabras citadas, en la p. 915.

esse verum Papam, sed specialiter de unoquoque, verbi gratia Clemente VIII, Urbano, Gregorio etc., fide divina credendum est esse verum Papam. Patet, quia non potest exprimi nomen proprium alicuius singularis vagi, sed tantum signati et determinati, verbi gratia Clementis VIII. Ergo de illo fide divina credendum est esse verum Papam.

[8] *Tertio probatur* eadem sententia ab inconvenienti, vel deducendo ad impossibile. Quia si non est de fide hunc particularem hominem, exempli gratia Clementem VIII, esse verum Pontificem, ergo quod determinat et definit ut Papa non est de fide. Consequens est haereticum; ergo et antecedens. Probatur consequentia: quia in tantum est de fide tenendum quidquid definit in fide vel in moribus, in quantum est verus Papa, atque adeo in quantum habet assistentiam Spiritus Sancti ad definiendum; sed non est de fide certum quod sit verus Papa; ergo nec quod habeat hic et nunc assistentiam Spiritus Sancti ad definiendum; ergo nec quod definit est infallibilis et divinae veritatis ex sua definitione.

[9] *Ultimo probatur,* quia si non est de fide certum hunc [F. 3v] numero Papam esse verum Papam, ergo neque de aliquo alio, praeter Petrum Apostolum, erit de fide certum esse verum Papam; ergo nec est de fide certum hactenus continuatam esse successionem Romanorum Pontificum in Ecclesia; ergo nec quod impleta sit illa Christi promissio, qua primatum perpetuum constituit in Ecclesia pro Petro et successoribus eius. Consequens nemo catholicorum (h) affirmabit; ergo nec antecedens. Et *confirmatur* urgendo inconveniens supra allatum: quia nihil erit de fide, quod hactenus sit per Romanos Pontifices definitum; ergo omnia nutabunt in Ecclesia et de pluribus dogmatibus definitis ab his, qui praecesserunt, Summis Pontificibus, dubitari poterit. Consequens est haereticum; ergo et antecedens.

Haec sunt huius positionis fundamenta.

[10] *Secunda sententia* affirmat quod, licet de unoquoque singulari Romano Pontifice non sit de fide per se primo quod sit verus Papa, sit tamen de fide per se secundo; et habitus fidei divinae per se secundo inclinat ad id credendum. Ita *Báñez* in quibusdam, quas nunc denuo emisit assertionibus et S. D. N. dicavit (4). Et quantum ego accepi, illud

(h) Gr *catholicus*

(4) He aquí la tesis defendida por BÁÑEZ: «Sanctissimo D. N. Clementi VIII, Romano Episcopo ac proinde Petri successori et Christi Vicario in terra, Dominicus Bañez. Assertio 3.ª Fidelium Ecclesia in statu revelatae legis gratiae, sicut nulli nobi-

appellat *per se secundo de fide*, quod, licet verum sit, potest tamen illi subesse falsum. Fundamentum huius auctoris nullum aliud invenio, quam velle suam priorem sententiam, novis inductis vocibus, vel retractare vel temperare.

[11] [SENTENTIA AUCTORIS.] Nihilominus *oppositam sententiam*, quae docet non esse de fide hunc numero hominem esse verum Papam, utpote validioribus innixam fundamentis, probabilem et ab omni nota liberam esse, dubitari non potest. Quod ex novem capitibus plane ostendam. Ex singulis igitur argumentabor.

[12] [PROBATUR 1.°] Et *primo ab unanimi theologorum consensu*, quotquot rem hanc attigerunt. Singulorum verba referam, ut uniuscuiusque mens clarius pateat.

[13] [F. 4] 1. *Cardinalis Turrecremata*, vir suo saeculo celebris et nostro, in Summa de Ecclesia lib. 4 p. 2 cap. 9 (5) istam propositionem «Thomas de Sarzana est verus Papa» (sic appellabatur ante pontificatum ille, qui tunc in Sede Apostolica praesidebat et postea dictus est Nicolaus V), itaque illam propositionem dicit esse non de fide, sed sapientem veritatem catholicam. Cum definisset propositionem, quae non est catholica, vel de fide, sed sapiens fidem vel catholicam veritatem, subdit exempli gratia: quia nunc in Apostolica dignitate sedet Magister Thomas

---

lior et sanctior est quam in omni alio statu, ita et perfectiorem unitatem cum excellenti universalitate coniunctam habet; unde merito catholica et apostolica nuncupatur. Huius Ecclesiae individuatio non per se ab hoc individuali Romano Episcopo desumitur, sed a visibili subiectione fidelium baptizatorum ad Apostolicam Sedem et in ea pro tempore sedentem desumitur. Fidei catholicae infusum lumen ad plures veritates immediate inclinat; quarum una est, praefatam Ecclesiam visibilem et singularem, esse veram Christi Ecclesiam. Hunc autem singularem hominem, v. gr. Clementem VIII, esse Christi Vicarium, tametsi non per se primo et immediate infusa fides credat, tamen per se secundo tam firmum assensum efficit, ut qui id negaverit vel in dubium practice verterit, non solum ut valde temerarius et scandalosus, sed ut suspectus de haeresi immo et errans contra fidem merito puniretur.»

Así leemos la proposición de Báñez en una carta de Antonio Pacotti al P. Antonio Possevino, fechada en Roma el 17 de agosto de 1602, carta que se contiene en la *Bibl. Vittorio Emmanuele*, Mss. Gesuitici 679 carpeta 5.ª Allí mismo puede verse la tesis en su parte principal, en una «*Relatione sommaria di quel che tocca alle conclusioni difese nella Corte d'Spagna alli 2 Luglio dai Padri Domenicani et 10 del medesimo dai Padri della Compagnia di Giesù*», conservada en diversas copias. Para la historia del episodio de Valladolid, véase ASTRAIN 4, 323-328, y con información de fuentes contrarias V. BELTRÁN DE HEREDIA, *Actuación del M. Domingo Báñez en la Universidad de Salamanca*: CienTom 28 (1923, II) 36-47.

(5) I. DE TORQUEMADA, *Summa de Ecclesia* lib. 4 p. 2 cp. 9. El nombre de Nicolao V era Tomás Parentucelli; pero procedía de Sarzana, pequeña aldea de Liguria, aunque no es del todo cierto que naciera allí. Cf. L. DE PASTOR, *Historia de los Papas* t. 1 lib. 3 cp. 1 (trad. española vol. 2 p. 13).

de Sarzana, ista «Thomas de Sarzana est Papa» est propositio sapiens catholicam veritatem. Quod in sequentibus probat, quia colligitur ex altera propositione de fide, et altera, quae non potest rationabiliter negari, hoc discursu: quicumque canonice electus qui pro tempore fuerit, eius nomine proprio expresso, est successor B. Petri et verus Papa; sed Thomas de Sarzana est canonice electus; ergo est verus Papa. Maior est de fide ex cap. *In nomine Domini* (6) et ex Bulla Martini V in verbis supra relatis pro opposita sententia (7). Minor non potest rationabiliter negari. Ergo conclusio est sapiens fidem vel catholicam veritatem. Ecce istam propositionem «Thomas de Sarzana est verus Papa» apertissime dicit non esse de fide sed sapientem fidem. Et ne quis fallatur, quod ibidem aliquando appellat propositionem catholicam illam, quae sapit catholicam veritatem, et inde existimet idem esse quod propositio de fide sit vel sapiens fidem, advertat 1.° indubitatum esse apud omnes, quod distinguitur propositio de fide et sapiens fidem. 2.° quod idem auctor condistinxit (i) utrumque genus (j) propositionis, dicens: «*octavum genus distingui potest earum propositionum, quae, etsi absolute catholicae non sint, sunt nihilominus catholicam veritatem sapientes,* [F. 4v] *sunt enim catholicis veritatibus propinquae. Unde veritas sapiens catholicam veritatem sic potest definiri: veritas sapiens catholicam veritatem, sive fidem ex consequenti, est illa, quae adiunta sibi aliqua alia veritate ad fidem non pertinente, sed nihilominus quae rationabiliter negari non potest, fiet veritas catholica*». Et statim subdit exemplum verbis iam relatis. Eamdem ergo quam prius dixerat catholicam, postea dicit esse sapientem catholicam veritatem. Et ita, dum illam appellavit catholicam, satis constat in quo sensu loquatur, ut per catholicam intelligat illam, quae ad catholicam accedit vel illam sapit.

[14] Secundo, *idem auctor* cap. 20 sequenti, defendens suam illam sententiam, quod Papa, eo ipso quod sit haereticus quamvis occultus, est iure divino privatus papatu, respondensque quartae rationi in oppositum, possibile putat quod mulier, paganus et infidelis possit haberi pro Papa,

(i) Gr *distinxit et condistinxit*
(j) Gr *membrum seu genus*

(6) «Certus vero atque legitimus hic electionis ordo perpenditur... Postquam electio fuerit facta..., electus, sicut verus Papa, obtineat auctoritatem regendi Romanam Ecclesiam». CIC Decr. I, 23, 1 (RICHTER, 1, 68s).

(7) «Item, utrum credat, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, eius nomine expresso sit successor Beati Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei.» HARDUIN, *Acta Conciliorum* 8, 915.

si existimetur christianus, et ait in haec verba: «*cum ergo constet quod aliquando mulier a catholicis putabatur Papa, et eadem ratione aliquis paganus vel iudaeus, retinens in corde infidelitatis perfidiam, posset putari christianus et in Papam assumi, non est incredibile quod aliquando haereticus habeatur pro Papa, licet Papa non sit, eo quod iure divino sit privatus papatu.*» Quid clarius? Praecipue cum constantissimum sit, non posse esse Papam, qui non sit vere baptizatus et rite ordinatus, ut infra dicam. Unde manifestius relinquitur quae sit eius sententia cap. 9 praecedenti.

[15] 2. *Cardinalis Caietanus* 2.2 q. 1 a. 3 circa solutionem ad 4 (8), contendens hostiam consecratam esse adorandam hic et nunc absolute et sine conditione, etiamsi non sit de fide hic et nunc corpus Christi sub illis speciebus contineri, sicut nec quod illae sint rite consecratae, ut id probet [F. 5], affert exemplum in haec verba: «*nam absolute adoramus summum Pontificem* (k) *et similiter alios episcopos, et tamen secundum istorum timorem sub conditione essent venerandi, quia quis scit si ille sit baptizatus? et si ille qui baptizavit eum habuit intentionem conferendi sacramentum baptismi?*» Et infra dicit omnia illa, scilicet esse Papam, esse episcopum, esse sacerdotem, vere absolvere etc. illa, inquam, omnia ex intentione dependere conferentis sacramenta. De mente huius auctoris nullus est tergiversationi locus.

[16] 3. *Cardinalis Bellarminus*, lib. 4 de Romano Pontifice cap. 12 (9), in quo et aliis contendit nullum Romanum Pontificem hactenus in haeresim aut errorem contra fidem incidisse; et cum venisset ad Stephanum VI et Sergium III, qui erroris insimulantur eo quod statuerint Formosum Papam praedecessorem suum non esse verum Papam, sic scripsit: «*Respondeo errasse Stephanum VI et Sergium III; sed in quaestione facti, non iuris, et malo exemplo, non falsa doctrina.*» Expendantur singula verba, et patebit quam aperte subscribat huic nostrae sententiae. Nam eodem libro cap. 2 paragrapho 2 (10) observandum statuit, quod omnes fideles exsistimant ut certum (l) Pontificem posse errare in con-

(k) Gr *absolute et similiter*

(l) Gr *quod apud fideles certum est*

(8) T. DE VIO CAIETANUS, *In* 2.2 q. 1 a. 3 (S. THOMAE AQUINATIS *Opera omnia*, ed. Leonina, 8, 13).

(9) S. ROBERTUS BELLARMINUS, *De Summo Pontifice* lib. 4 cp. 12 n. 14.

(10) *De Summo Pontifice* lib. 4 cp. 2 n. 2s.

troversiis facti, ut an talis sit promovendus ad episcopatum, an iure fuerit promotus, an videatur deponendus. Quando ergo dicit quaestionem de vero pontificatu Formosi fuisse quaestionem facti, sentit esse de illis in quibus decernendis Papa potest errare. Et hinc paragrapho sequenti ad finem sic loquitur: «*praecipua ergo quaestio fuit, an Formosus fuisset Papa legitimus, necne; in qualibus quaestionibus non negamus posse errare Pontifices, et de facto errasse Stephanum VI et Sergium III*» (11). Secundo addidit «*malo exemplo non falsa doctrina*», id est non contra fidem; nihil enim aliud potest in proposito illis verbis [F. 5v] intelligi. Tertio, quia si sentiret esse de fide hunc particularem hominem esse verum Pontificem, idem existimaret de Formoso, qui quinque annis et sex mensibus ut talis habitus est ab universa Ecclesia; ergo non excusasset, immo nec excusare posset Stephanum VI et Sergium III, qui oppositum docuerunt.

[17] 4. *Gerson*, antiquus theologus qui interfuit Concilio Constantiensi, Alphabeto 14 lit. f (12) sic loquitur: «*et sic potest describi propositio sapiens haeresim, quod est propositio ex cuius concessione, coadsumpto aliquo quod non potest rationabiliter negari, sequitur haeresis in fide; ut si quis diceret quod Beatus Gregorius non fuisset Papa; quia, supposito quod non possint rationabiliter negari historiae dicentes ipsum fuisse rite electum et susceptum in Papam, licet non sint de fide, sequitur ista haeresis, quod rite electus in Papam nec est nec fuit Papa*» (ll).

[18] 5. *Vega*, lib. 9 in Tridentinum cap. 39 (13), cum loqueretur de propositionibus quae inferuntur ex una de fide et altera lumine naturali nota, subiecit in haec verba: «*idemque patet in propositionibus quae dependent a definitione Conciliorum Generalium, vel Papae; omnes enim illae supponunt istas propositiones: hoc Concilium est legitime congregatum, hic Papa est rite et canonice electus; quae quidem non sunt revelatae, sed evidenter cognitae.*»

[19] 6. *Alfonsus de Castro*, lib. 1 Contra haereses cap. 9 ad me-

---

(ll) Gr añade al margen: *hanc sententiam tenet et Ioannes Maior super Evangelium in fine q. 2.ª in Evangeliorum illustrationem n. 10 et ponit exemplum in Sancto Damaso.* Véase el n. [25].

---

(11) *De Summo Pontifice* lib. 4 cp. 12 n. 15.

(12) I. GERSON, *Opera omnia*, 2.ª pars, *Compendium Theologiae*, alphab. 14.

(13) A. VEGA, *De iustificatione doctrina universa* lib. 9 cp. 39 (Coloniae 1572) fol. 290.

dium (14) id non solum disserte docuit, sed probavit sequentibus verbis: «*quamvis enim credere teneamur ex fide, verum Petri successorem esse supremum totius Ecclesiae pastorem, non tamen tenemur eadem fide credere Leonem aut Clementem esse verum Petri successorem; quoniam non tenemur ex fide catholica credere eorum quemlibet rite et canonice fuisse electum. Quo fit, ut qui obaedientiam denegaret Clementi aut Leoni hac ratione, scilicet quod dicat eum non fuisse rite electum,* [F. 6] *et si schismaticus dicendus sit, non tamen haereticus censendus, cum per hoc nulli veritati catholicae obviet. Non enim ad fidem catholicam spectant ea, quae ex facto nunc dependent, sed ea, quae ex iure. Alioqui, si ea ad fidem catholicam pertinerent, fieri oporteret necessario, ut Ecclesia aliquando in fide deciperetur; quod nullus sanae mentis unquam admittet*».

[20] *Idem auctor,* lib. 2 De iusta haereticorum punitione cap. 24 (15), diluens quaedam argumenta Caietani, sic tandem loquitur: «*sicut si aliquis non baptizatus ordinaretur presbiter, sicut aliquando contigisse constat ex titulo qui de hac re inscribitur in Decretalibus, et ille postea efficeretur episcopus et tandem Papa, et multos ordinaret episcopos et consecrasset sacerdotes; tunc ille, sicut non esset sacerdos, ita nec episcopus nec Papa, quamvis ut talis reputaretur; quo eventu necessaria esset confusio ordinum ecclesiasticorum. Credendum tamen est, ut Beatus Thomas in 4 Sententiarum dist. 24 docet* (m) *Deum tunc subventurum Ecclesiae daturumque illi conveniens remedium; sicut olim quando mulier, sexum mentita masculinum, in Papam electa et pro tali per aliquot annos reputata est*». Et quamvis hoc referat ex Turrecremata, approbat tamen et omnes illos casus possibiles reputat.

[21] 7. *Corduba,* lib. 1 Quaestionarii q. 17 paragrapho 2 (16), postquam approbavit illam definitionem propositionis sapientis fidem, quam supra ex Gersone retulimus, subiciens exempla, tandem sic scripsit: «*similiter sapit fidem haec propositio: Beatus Gregorius fuit Papa; quia bene sequitur: omnis canonice electus est Papa, B. Gregorius fuit canonice*

(m) M y Gr omiten *docet*

(14) A. DE CASTRO, *Adversus haereses* lib. 1 cp. 9 (Venetiis 1546) p. 98.
(15) A. DE CASTRO, *De iusta haereticorum punitione* lib. 2 cp. 24 (Salmanticae 1547) fol. 167r.
(16) A. CORDUBA, *Questionarium theologicum* lib. 1 q. 17 (Venetiis 1569) p. 151 y 157.

electus, ergo fuit Papa.» Et eamdem consequentiam aliis modis format, et tandem subiungit: «*patet hoc in utraque consequentia, quia fuit canonice electus, quod rationabilier negari non potest, et non propter aliud quispiam est Papa*». Et paragrapho 8 sequenti in principio idem exemplum adducit, declarando quid sit propositio sapiens haeresim et arguendo per oppositum.

[22] [F. 6v] 8. *Driedo*, lib. 1 De libertate christiana cap. 14 (17) in secunda opinione, asserente verum Papam eo ipso quod esset haereticus occultus esse iure divino depositum, respondensque illi argumento in contrarium, quod sequeretur ex hac opinione perturbatio Ecclesiae, sic ait: «*neque in illo casu ullus ordo ad salutem Ecclesiae necessarius confunderetur; nempe Spiritus Sanctus Ecclesiae praesidens dirigeret illam in necessariis, etiamsi quispiam iudaeus aut paganus non baptizatus, nec unquam corde vero christianus, eligeretur in Papam*». Ecce hunc casum exsistimat possibilem atque adeo non esse de fide hunc particularem hominem esse verum Papam.

[23] 9. *Almainus*, De auctoritate Ecclesiae cap. 10 ad finem (18), cum dixisset Concilium generale esse infallibilis auctoritatis in definiendo res fidei, subdit: «*de errore autem facti, quod quidem factum ex sacris litteris trahi non potest, Concilium posse errare, nemo est qui dubitet; nec illustratur ab Spiritu Sancto speciali illa assistentia, nisi in necessariis. Et ex hoc sequitur, non oportere quamlibet sententiam definitivam Concilii esse veram. Aliqua enim eius sententia in facto consistit, puta quod iste sit Papa vel non sit Papa*». Ecce quam aperte dicit hoc non pertinere ad fidem, sed esse rem facti.

[24] 10. *Petrus de Bollo*, in Oeconomia canonica 3 classe in fine (19), infirmans illam rationem qua probatur Papam ob haeresim occultam non esse ipso facto depositum, nempe quia essemus incerti de valore et efficatia actionum spiritualium per Pontifices haereticos factarum, sicque confusio in Ecclesia generaretur et fieret, haec protulit verba: «*haec tamen ratio inefficax est, tum quia fere similis incertitudo est de actionibus*

---

(17) I. DRIEDO, *De libertate christiana* lib. 1 cp. 14 (Lovanii 1553) t. 4 fol. 395.

(18) I. ALMAINUS, *De auctoritate Ecclesiae seu Sanctorum Conciliorum eam repraesentantium* p. 10; en la edición de los *Moralia* (Paris 1527) fol. 153v.

(19) P. DE BOLLO O. P., *Oeconomia Canonica, seu de sanctissimae catholicae Christi familiae ministrorum officio et conservanda ubique maiorum ecclesiastica disciplina* cl. 3.ª (Lugduni 1588).

spiritualibus christianorum et catholicorum Pontificum, cum fieri posset et contingere quod tales (n) *qui pro legitimis Pontificibus habentur et creduntur humana fide, cui falsum subesse potest, veri tamen et legitimi Pontifices non sint, aut quia vere non baptizati, aut quia non vere instituti et consecrati*» (ñ).

[25] [F. 7] 11. *Ioannes Maior,* q. 2 in Evangeliorum illustrationem (20), enumerans gradus propositionum, n. 10 in tertio gradu dicit esse eam quae deducitur ex una de fide et altera non de fide illi adiuncta. Et quia haec potest esse multiplex, subdit: «*si fuerit indubitatae veritatis* (adiuncta scilicet propositio), *sic quodammodo fidem subolet, et illam negans sapere haeresim dicitur. Patet exemplariter de hac copulativa: Deus est, et Damasus fuit Papa. Secunda est priori impertinens, cum nec ex illa sequatur, nec illi adversetur. Illam tamen inficians haeresim spirare fertur, quia coassumpto uno vero, quod rationabiliter non potest negari, crimen haeresis in fide colligitur. Annales affirmantes Damasum in Papam electum, negari non possunt sine protervia; quibus admissis, contra negantes Damasum fuisse Papam infertur: quispiam in Summum Pontificem rite assumptus non fuit totius Ecclesiae antistes*». Vides quod Damasum fuisse Papam, dicit non esse de fide sed indubitatae veritatis, id est omnino certam. Rursus quod Annales affirmantes Damasum fuisse verum Papam, non possunt negari sine protervia. Aperte ergo sentit, non esse de fide Damasum fuisse verum Papam. Denique, quod qui illam copulativam negat, solum sapit haeresim.

[26] 12. *Sylvester,* verbo Concilium n. 4 (21), loquens de Papa, sic ait: «*si tamen erret in fide, ut singularis persona, statim desinit esse caput quoad Deum, licet non quoad Ecclesiam, quousque per iudicium deponatur*». Plane ergo sentit posse aliquem ab Ecclesia haberi ut Papam, qui in re non sit talis.

[27] 13. *Alfonsus Salmeron,* tomo 12 tr. 83 paragrapho «sed ut haec

(n) M *talis*

(ñ) Gr omite los autores citados en los n. [25] a [28] y sigue la numeración, que es por tanto 11 para Báñez, 12 para M. Palacios y así hasta el final de la serie. Téngase en cuenta lo anotado más arriba, que el texto de Mair se encuentra aludido al margen posteriormente.

(20) I. MAIOR, *In quatuor Evangelia expositiones luculentae cum quaestionibus et disputationibus adversus hacreticos* q. 2 n. 10 (Parisiis 1529).

(21) SYLVESTER PRIERAS O. P., *Summa Summarum* «Concilium» n. 4 (Lugduni 1585).

maiori» (22) dicit quod sicut potest aliquis esse haereticus coram Deo et non coram hominibus, et e contra potest esse haereticus coram hominibus et non coram Deo, «*ita* (ait ille) *stat aliquem non esse Papam coram Deo et esse coram hominibus*». Quod in sequentibus probat quia ad esse Papam requiritur quod sit vir et sit [F. 7v] christianus; in quibus agnoscendis possunt homines errare. Et in solutione secundi et tertii argumenti adversariorum multus est in hac re, et in toto illo tractatu. Nam contendit Papam per occultam haeresim esse depositum iure divino et illius haeresim ignorari posse; et consequenter quod haberetur Papa a tota Ecclesia et talis non esset.

[28] 14. *Ioannes Azorius*, lib. 8 Institutionum Moralium cap. 20 paragrapho «Quarto quaeritur» in fine (23) cum sciscitaretur quo pacto schisma, quo se quis ab Ecclesia segregat, contingat citra ullum intellectus errorem, responsionem his verbis adhibuit: «*Respondeo ex S. Thomae sententia 2.2 q. 39 a. 2 ad 3 et ex Caietani opinione, id explicantis eo loco et in Summa cap. schismatis crimen, inde accidere quod fieri possit, ut quis Romani Pontificis vel Ecclesiae imperium recuset, obtendens sui criminis rationem et causam, videlicet dicens Romanum Pontificem non esse legitime creatum, aut eum ob sua delicta potestate et auctoritate pontificia esse privatum atque expoliatum*». Non loqui autem hunc auctorem in dubio Pontificis, patet ex verbis Caietani, cuius ille sententiam sequitur in illo duplici loco, et praesertim in Summa loco citato, ubi sic loquitur (24): «*et similiter iuxta hunc quoque modum incurrit schisma, si quis non se habeat ex intentione ad Christi Vicarium in terris Romanum Pontificem indubitatum ut caput vice Christi istius corporis*, etc.». Sicque optime in fine illius capitis notavit Caietanus non incurri formaliter schismatis crimen in dubio Pontificis, cum ab eo se quis intendit separare. «*Immo tunc* (inquit ille) *nulli ut certo et indubitato Pontifici adhaerere tenemur, quia errandi periculo nullus se tenetur exponere.*» Igitur in sententia horum auctorum, quae una et eadem est, casu quo incurritur schisma, quod tantum indubitati capitis opponitur unitati [F. 8], nullum in fide errorem patitur intellectus.

[29] 15. *Dominicus Báñez*, 2.2 q. 1 a. 10 in prioribus commentariis

---

(22) A. SALMERÓN. *Commentarii in Evangelicam Historiam et in Acta Apostolorum* t. 12 tr. 83 (Madriti 1601) p. 765s.

(23) A. AZOR S. I., *Institutiones morales* lib. 8 cp. 20 (Romae 1600) t. 1 col. 799

(24) T. DE VIO CAIETANUS, *Summula de peccatis* «Schismatis crimen» (Romae 1525).

dub. 2 ad 2 (25), multus est in hac re, ostendens id non esse de fide, etiam postquam Papa aliquid definierit de fide; sed quod iste singularis homo sit verus Papa, semper esse talem veritatem cui potest subesse falsum. Et tandem subdit: «*hoc enim dependet ex pluribus circumstantiis, quae possunt deficere, ut v. gr. necesse est illum esse baptizatum et fortassis non est baptizatus, et similiter pendet ex eo quod iste sit vir et fortassis est femina, sicut vulgo dicitur de Ioanne VIII*». Et plura ibi dicit (o) ad hoc propositum.

[30] 16. *Michael Palacios* in 3 dist. 24 disp. 2 ad 6 ad finem solutionis (26) sic protulit: «*Porro obicies forsan, quid ergo electio Pontificis huius aut illius potest esse ex iure nulla quia simoniaca vel alias; si ergo non est de fide quod hic est Papa vel ille, quomodo decissiones eius sunt de fide observandae ut de fide? At dicito, quando Papa toleratur ab Ecclesia Dei, quamvis electio eius sit ipso iure quassa, decissiones eius ut alia iudicialia sunt vigentia. Nam error publicus gesta iudicum sustinet. Quamquam igitur non sit de fide hunc esse Papam, at de fide est, quamdiu ab Ecclesia toleratur ut Papa, gesta illius habere papalem vigorem, praesertim in his quae iurisdictionis sunt*».

[31] 17. *Rodericus Dosma Delgado*, lib. 3 De auctoritate Sacrae Scripturae cap. 13 non longe a fine (27), cum obiecisset sibi indubia non esse Pontificum decreta quippe eorum firmitas a legitima Pontificum electione penderet, quae talis existimari contingeret et non esset, fatetur id accidere posse his verbis: «*certe quae ita legitima sit non cunctis evidentia, nec sacrae fidei certitudine constat, quae tantum adserit eum cui rite delectus sit Christi Vicarium in terris supremam potestatem super ecclesiasticam hierarchiam a Domino consequi*». Et in sequentibus late explicat, quomodo infallibilitas definitionum Pontificis non [F. 8v] pendeat ex eo quod sit de fide Papam definientem esse verum Papam.

[32] 18. *Aragon* 2.2 q. 1 a. 3 «circa solutionem ad quartum» sic ait (28): «*et confirmatur: absolute adoramus Pontificem et alios episcopos, et tamen non est certum de fide quod iste sit Summus Pontifex aut episcopus. Ergo idem dicendum est de hostia consecrata*».

(o) M *dicet;* Gr *adducit*

---

(25) D. Báñez, *In* 2.2 q. 1 a. 10 (Duaci 1615) p. 63 col. 1.
(26) M. Palacios, *In* 3 dist. 24 disp. 2 ad 6 (Salmanticae 1577) p. 245.
(27) R. Dosma Delgado, *De auctoritate S. Scripturae ac ea introductorum* cp. 13 (Pinciae 1594) fol. 62.
(28) P. Aragón, *In* 2.2 q. 1 a. 3 (Salmanticae 1584).

[33] 19. *Paulus Grisaldus Perusinus*, in suis Catholicis decissionibus verbo «adoratio» n. 4 (29), docens hostiam consecratam esse sine conditione adorandam, sic loquitur: «*nam nostrum est credere hostiam esse sub speciebus panis et vini et hoc praecipit fides, non tamen hanc hostiam; nec tamen conditione positiva adorare debemus; nam actus sacerdotis bonus est; nam nec Papam veneramur nec episcopos aut sacerdotes sub conditione, de quibus ignoramus an sint baptizati et vere ordinati*».

[34] 20. *Hieronymus de la Rua*. Controversia 3 scholastica paragrapho «quartae demum rationi» (30), loquitur sicut Driedonius, quem supra retuli, et admittit feminam posse in Papam assumi et Pontificem, eo ipso quod sit haereticus, quamvis occultus, esse depositum. Denique, respondens obiectioni sumptae ex perturbatione Ecclesiae quae inde sequeretur, inquit: «*rursus contingere posse in sacerdotem et episcopum ac in Summum Pontificem assumi hominem revera non baptizatum, qui verus putaretur Pontifex; et tamen tunc credendum esset, Christo semper suam Sponsam Ecclesiam scilicet protegente, inde non eventuram ecclesiastici ordinis confusionem*» (p).

[35] 21. *Sanctes*, repetitione 9 de Eucharistia cap. 4 paulo post medium (31), contendens hostiam consecratam non esse sub conditione adorandam, ait in haec verba: «*alioqui, si sub conditione adoraretur Christi caro in Eucharistia, nihil non sub conditione* [F. 9] *a christiano in religione agi oporteret: adeundi venerandique sub conditione essent episcopi, presbyteri atque alii omnes ministri, si nimirum legitime baptizati, ordinati rite ac legitime baptizarent, consecrarent, absolverent. Haec enim et similia pendent ex intentione tum ministri tum suscipientis*». Et paulo infra: «*hominibus enim humana sufficit certitudo*». Ecce haec omnia dicit ex intentione hominum pendere et solum humana certitudine constare, idque sufficere ut episcopos suscipiamus et veneremur, reliquosque Ecclesiae ministros; ubi non dubium quin comprehendat Summum Pontificem.

(p) Gr *perturbationem*

---

(29) P. GRYSALDUS O. P., *Decissiones fidei catholicae et apostolicae* «Adoratio» n. 4 (Venetiis 1582).

(30) HIERONYMUS DE LA RUA, *Controversiae theologicae partim positivae partim scholasticae* contr. 3 schol. (Romae 1584).

(31) CLAUDIUS DE SAINCTES O. S. A., *De rebus Eucharistiae controversis repetitiones* rep. 9 cp. 4 (Parisiis 1575).

[36] 22. Ex theologis denique *Melchior Cano* (32), vir acris ingenii et eruditione refertus, tametsi hanc nostram sententiam expressis verbis non affirmaverit, necessario tamen sequitur ex his quae docuit lib. 6 de Locis cap. ultimo paragrapho «sed et id postremo». Primo, quia ibidem sic ait: «*quod sacerdotes nostrae huius aetatis a veris episcopis fuerint consecrati, non est sacris litteris proditum; sed res gesta potius est, quae ex verbis et animo consecrantium pendeat*». Quis non videat idem necessario dicturum de baptismo et ordinatione et consecratione Summi Pontificis in episcopum? At nisi sit bene ordinatus et baptizatus non est verus Papa. Ergo sentit, esse verum Papam rem esse facti, non ad fidem pertinentem. Secundo, quia paulo infra sic scripsit: «*ad eumdem profecto modum, qui negaverit Romanum Pontificem eamdem habere potestatem, quam Petrus a Christo accepit, fidei adversarius censendus est, quamvis ex evangelio nihil aliud proxime colligatur, quam Petri successores eumdem habere cum Petro principatum. Quia si huic evangelicae conclusioni illam addas, episcopum Romanum esse Petri successorem, quam ex historiis ac traditione virorum gravissimorum accepimus, manifeste colligimus Romanum Pontificem et ceteris episcopis superiorem esse, et eamdem habere in Ecclesia* [F. 9v] *potestatem et auctoritatem, quam habuit Petrus*». Certe, si Romanum episcopum esse successorem Petri dixit ex sola fide historiae et hominum constare, multo potius diceret non esse de fide hunc particularem hominem esse verum Papam et Petri successorem, sed morali certitudine constare. Verum tamen est quod ille in eo falsum assumpsit, quod dixit sola fide hominum constare Romanum episcopum esse Petri successorem; quia hoc est de fide ex traditione et ex consensu Ecclesiae in hanc veritatem tamquam in dogma fidei, ut modo aliunde suppono, et ipse paragrapho sequenti approbat et sequitur.

[37] 23. Nec defuere ex iureconsultis qui eidem sententiae patrocinentur. Nam *Arnaldus Albertinus*, in tractatu De agnoscendis assertionibus catholicis et haereticis q. 5 in fine (33), cum eamdem definitionem praemisisset propositionis sapientis catholicam veritatem quam ex Gersone et Turrecremata supra retulimus, subicit haec verba: «*exempli gratia, quia nunc in Apostolica Sede sedet Ioannes Maria de Monte, ista propositio Ioannes Maria de Monte est Papa, est propositio sapiens catholicam*

(32) M. Cano, *De locis theologicis* lib. 6 cp. 8 (Matriti 1791) t. 1 p. 444.

(33) Arnaldus Albertinus, *De agnoscendis assertionibus catholicis et haereticis* q. 5 (Romae 1587). Jurista español, nacido en Mallorca, inquisidor en Valencia y en Sicilia, obispo de Patti.

veritatem». Quod in sequentibus probat eodem discursu, quo Gerson et Turrecremata, solumque in exemplo variavit personam. Ecce hic auctor docet istam propositionem *Ioannes Maria de Monte est Papa*, non esse de fide, sed sapientem fidem.

[38] 24. *Iacobus Simancas*, in Catholicis institutionibus titulo 54 n. 10 (34) retulit Gersonem, Turrecrematam et hunc Arnaldum Albertinum, approbavit eorum doctrinam et definitionem propositionis sapientis haeresim, non vero subiecit (q) exemplum. Credibile tamen est, quod si exempla allata ab his auctoribus displicerent, improbaret illa.

[39] 25. Referri solent pro hac sententia *Axiomata Christiana* lib. 2 a. 6 cap. 11 (35). Sed revera ibi nihil ad propositum. [F. 10] Et *Ocham* lib. 1 et 2 Dialogorum. Hunc vero auctorem non legi.

[40] In eadem tandem sententia sunt quotquot existimant Papam occultum haereticum esse ipso facto depositum. Cuius placiti fuere Turrecremata, Ioannes Driedo, Petrus de Bollo locis supra citatis et novissime *Alfonsus Salmeron* tomo 14 disp. 24 super ad Galatas 2 pag. 619 columna 1 ad initium (36) et plures alii; et quotquot recipiunt hanc opinionem ut probabilem licet falsam existiment, ut Caietanus et plures alii ex antiquioribus; immo quicumque illam non damnant ut erroneam, quam notam nullus hactenus illi inusit. Patet, quia omnes praedicti auctores nunquam docuerunt esse de fide quod Papa non sit occultus haereticus. Sunt etiam in hac nostra sententia, quotquot verum aut possibile iudicant feminam fuisse electam in Papam. In quibus est *Antonius* 2 p. titulo 16 cap. 1 paragrapho 7 (37). Rursus, quicumque existimant non esse de fide aliquod particulare Concilium generale fuisse rite congregatum, tametsi de fide sint quae in illo definiuntur; quia utrobique aequa militat ratio. In quibus est *Bellarminus* lib. 2 de Conciliorum auctoritate cap. 9 in solutione ultimae obiectionis (38). Quis ergo tot tam catholicos, pios et graves auctores erroris damnet, quos hactenus de hac sententia nullus

(q) M *subicit*

(34) I. Simancas, *Institutiones catholicae* cp. 30 n. 8 (Vallisoleti 1552) fol. 108.

(35) G. Casal, *Axiomata christiana ex divinis Scripturis et SS. PP. cum ecclesiasticis tum etiam scholasticis* lib. 2 a. 6 cp. 11 (Conimbricae 1550) fol. 139ss.

(36) A. Salmerón, *Disputationes in epistolas D. Pauli* t. 2 lib. 6 disp. 24 (Madriti 1602) t. 14 p. 619.

(37) S. Antoninus, *Chronicon* p. 2 tit. 16 cp. 1 par. 7 (Lugduni 1586).

(38) S. Robertus Bellarminus, *De Conciliis et Ecclesia militante* lib. 2 cp. 9 n. 7ss.

reprehendit (r) vel notavit? Immo, cum nullus contra illos proferatur, ut iam urgeo secunda ratione.

[41] [PROBATUR 2.°] Secundo probatur eadem sententia *ab auctoritate negativa*, quae in proposito est validissimum argumentum. Quia non est dicendum esse de fide, quod a maioribus nostris nunquam audivimus esse de fide; sed nunquam hactenus audivimus hunc singularem hominem, v. gr. Urbanum vel Innocentium, esse verum Papam, fide divina constare; ergo id non est de fide. Maior propositio patet: nam quaecumque sunt [F. 10v] de fide, ad nos ex maioribus nostris pervenerunt, nec possumus aliquid credere fide divina nisi nobis ut tale sufficientur proponatur. Minor probatur: quia nullus hactenus ex Patribus Ecclesiae, nec ex classicis theologis, docuit esse de fide hunc singularem hominem esse verum Papam. Vel producat aliquis, si potest, aliquod illorum pro opposita sententia testimonium. Quod eo magis urget, quo ab Arrio usque ad nostra tempora haeretici Romani Pontificis auctoritatem impetere non cessarunt. Si hoc ergo esset dogma credendum, quemcumque singularem esse verum Papam, qui fieri potest quod nunquam id fuerit a Patribus vel scholasticis ut tale assertum vel propositum? Quin potius, quotquot rem in suis scriptis attigerunt, ut vidimus, clarissime docent id non esse de fide; idque tamquam omnino certum et indubitatum. Et quidem Augustinus ep. 165, quae est ad Generosum, indicare videtur possibile esse quod aliquis illegitime subrepat in Summum Pontificatum. Cum enim praemisisset in ordine Romanorum Pontificum a Petro usque ad Anastasium, qui (s) tunc praeerat, nullum fuisse donatistam, subiungit (39): «*in illum autem ordinem episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro usque ad Anastasium, qui nunc eamdem cathedram sedet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil praeiudicaret Ecclesiae et innocentibus christianis*». Quod si possibile est in sententia Augustini aliquem illegitime ascendere cathedram Petri, non erit de fide hunc singularem esse verum Papam; quia non potest esse verus Papa, nisi per legitimam successionem. Restat ergo nullum hactenus ex theologis docuisse, esse de fide, quod hic singularis homo sit verus Papa; immo e contra Augustinum aliqualiter indicasse oppositum, et reliquos quos memoravimus,

(r) M y Gr *reprehendidit*

(s) M añade tachado: *nunc eandem cathedram*

(39) S. AUGUSTINUS, *Epistola* 53 n. 3: ML 33, 197; CSEL 34, 154.

aperte docuisse. Ergo non est de fide hunc particularem hominem esse verum Papam.

[42] [F. 11] *Dices fortasse,* id non esse a theologis expressum quia omnibus erat notissimum et indubitatum dogma fidei. Sed, Deus bone, receptum et indubitatum dogma fidei potest dici illud quod tot saeculis tam graves tam catholici et recepti theologi negarunt? Nihil minus! Superest ergo non esse de fide, hunc singularem hominem esse verum Papam.

[43] [PROBATUR 3.º] *Tertio probatur* eadem sententia *a priori.* Nihil potest esse de fide, quod non sit revelatum a Deo; sed hunc particularem hominem esse verum Papam, non est revelatum a Deo; ergo non est de fide. Consequentia est manifesta. Maior indubitata, quia ratio formalis assentiendi alicui credibili fide divina est testimonium Dei revelantis, quod modo suppono. Minor probatur aperte: quidquid est revelatum a Deo, vel Scriptura canonica, vel traditionibus divinis, vel definitionibus Conciliorum, vel decretis Pontificum continetur, vel constat ex communi sensu Ecclesiae vel Patrum et Doctorum eius, qui in tale credibile tamquam in dogma fidei conspirarunt; nec hactenus fuit alia via catholicis suscipiendi divinas revelationes in fidem totius Ecclesiae, praeter has quinque. Sed nulla illarum revelatum est a Deo hunc particularem hominem esse verum Papam. Ergo non est revelatum. Rursus *probatur minor a sufficienti divisione.*

[44] Et *primo,* quod non sit revelatum in Scriptura. Nam cedo locum in quo habeatur talis revelatio. Producunt illa testimonia Mt 16 et Io 21, in quorum altero promissus est Petro primatus, in altero concessus non solum pro se sed etiam pro successoribus. Quia ibi est de fide successores esse futuros usque in consummationem saeculi; non nisi illos particulares, qui pro legitimis Pontificibus habentur. Ergo de fide est unumquemque illorum esse verum Papam. Et idem argumentum sumi (t) posset ex illo Lc 22 [32]: *confirma fratres tuos;* quod praeceptum datum est Petro et successoribus eius usque in consummationem saeculi.

[45] [F. 11v] Sed contra hanc solutionem est, quod nullus unquam Patrum sic exposuit. Conveniunt quidem omnes, primatum in illis locis pro Petro et legitimis successoribus eius esse institutum; atque ita hoc est de fide. Ceterum quod hic singularis homo sit legitimus Petri successor,

---

(t) M *summi*

utpote hic et nunc canonice electus, nullus unquam dixit in illis testimoniis contineri. Et quis credat, quod in illis verbis *tu es Patrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (Mt 16 [18]) et in illis *pasce oves meas* (Io 21 [17]) sit revelatum, hunc numero hominem tali die ab his Cardinalibus esse electum ita legitime, ut neque in subiecto neque in electoribus nec in modo electionis esset aliquis defectus qui illam irritaret, atque adeo quod iste sit verus et legitimus successor Petri? Cum haec omnia tam sint incerta, quam ex voluntatibus hominum dependentia. Immo nec hic sensus cum illis verbis necessario connectitur. Patet, quia etiamsi hic homo hic et nunc non fuisset canonice electus, nihilominus illa verba essent vera. Si enim irrita esset eius electio, certe nihil aliud esset ac si sedes vacaret toto illo tempore, quo talis verus Papa existimatur; et revera vacabat, quamvis id non cognosceretur. Nihilominus vera essent verba Christi de institutione primatus. Ergo pariter sunt vera, etiamsi hic singularis homo non sit canonice electus. Quia in re idem est quod [non] sit canonice electus, et quod sedes vacet. Ergo talis sensus non necessario connectitur cum illis verbis. Et ulterius, quid si connectatur, vel illis aptetur? Numquid ideo erit de fide? Absit. Quia nullus unquam Patrum dixit hunc esse sensum ibi intentum a Christo, nedum (u) affirmavit talem expositionem esse de fide. Et constantissimum est in Ecclesia unius testimonii plures aliquando esse sensus probabiles, qui tamen non sunt de fide. At vero, ut ex illo testimonio esset de fide hunc [F. 12] particularem hominem esse verum Papam, prorsus necessarium erat esse de fide illum sensum intentum ibi fuisse a Christo.

[46] Et hinc praeterea, si de hoc particulari signato non est de fide esse verum Papam, quia haec veritas non necessario connectitur cum veritate verborum Christi, de nullo particulari signato poterit affirmari certitudine fidei quod sit verus Papa, cum non sit maior ratio nec specialior revelatio de uno quam de altero. Semper excipio Petrum.

[47] Ex quibus ad argumentationem factam, ad illum sensum ex praedictis testimoniis eliciendum, ut respondeam, age, argumentemur, si placet, ex aliis Scripturae testimoniis. Christus Dominus Lc 22 [19], dicens *hoc facite in meam commemorationem*, instituit sacerdotes perpetuo futuros in Ecclesia per continuatam successionem, quod est de fide certum; sed non possunt esse sacerdotes perpetuo in Ecclesia, nisi illi,

(u) M *necdum*

qui initiantur (v) sacerdotio, hic et nunc legitime initientur; ergo est de fide illos vere initiari. Et idem argumentum confici potest de institutione sacramenti eucharistiae et paenitentiae, ut ex illorum institutione in perpetuum duratura colligatur esse de fide hic et nunc conferri et perfici haec sacramenta. Similis prorsus argumentandi ratio, et pulchra sane, qua colligitur de fide esse istum verum sacerdotem, illum vere absolutum, has species rite consecratas. Sed nihil horum concedent, qui sic argumentantur; nec vero fas est concedi. Qua ergo ratione istae deductiones infirmantur, sic et illa qua contra nos utuntur. Porro collectiones istae nullae sunt. Quia ut promissio Christi et institutio perpetua illorum sacramentorum verificetur, non est necessarium quod constet de fide hic et nunc verificari, sed sufficit si in re conficiantur illa sacramenta; et idem iudicium est de reliquis. Sic in proposito.

[48] [F. 12v] Unde iam facile respondeo. De fide est illis locis primatum Petri perpetuum esse institutum a Christo, legitima Pontificum successione continuandum; et ita de fide est illum esse continuandum usque in consummationem saeculi, quantum sufficit ad perpetuitatem primatus; et consequenter futuros esse veros et legitimos Petri in illa dignitate successores. Non tamen ita, quod de singulis in particulari, vel de aliquo, constet certitudine fidei esse talem successorem legitimum. Nam ad hoc quod primatus sit in re perpetuus, sufficit in re sint legitimi successores Petri; non tamen est necessarium quod de singulis determinate constet de fide, esse veros Pontifices. Quare nec Christus promisit id divina revelatione constitutum. Iam ad formam argumenti, negatur ultima consequentia; quia primatus est in re perpetuus, ex eo quod in re et de facto sint legitimi successores, etiamsi de singulis vel de aliquo determinato non constet de fide esse verum Papam. Et merito id Christus non revelavit de aliquo particulari, tum quia ad regimen Ecclesiae et stabilitatem eius non est necessarium, ut latius patebit ex solutione tertii argumenti principalis, tum quia legitimam successionem uniuscuiusque particularis determinati reliquit Deus dependentem a pluribus factis et circumstantiis humanis, quas omnes simul in unoquoque concurrere, licet absolute posset, noluit tamen revelare; aut saltem non est de fide id revelasse, ut planum relinquitur ex dictis, et latius constabit ex dicendis.

[49] Iam *probatur secundum membrum minoris assumptae*, videlicet id non esse revelatum in aliqua divina traditione. Et quidem clarius est,

(v) M añade tachado: *in Ecclesia*

quam ut probari debeat. Nam quae talis traditio esse potest, quam a maioribus non accepimus? Vel producant unum saltem ex prioribus illis vel ex recen[F. 13]tioribus Ecclesiae Patribus, qui huius traditionis meminerint, a quo reliqui haurire possimus. Nullus omnino proferet. Ergo non est talis divina traditio. Nisi forte dicant, illam communi sensu Ecclesiae ad nos usque derivatam esse, et in illa (x) conservatam. Sed hoc in quinto membro impugnabitur.

[50] *Tertium membrum,* quod non sit revelatum aut tale esse non constet ex aliqua definitione Concilii, apertissimum est; quia nulla talis habetur Concilii determinatio.

[51] *Quartum vero membrum* similiter probatur, nempe quod non sit de fide ex definitione alicuius Romani Pontificis; quia nulla talis definitio exhiberi potest.

[52] Sed ecce proferunt determinationem illam Martini V, ex qua supra secunda ratione pro opposita sententia argumentabamur (40). Quia ex illa de fide est, quemcumque Pontificem Romanum legitime electum, qui pro tempore fuerit, esse verum Papam. Subdunt: ista propositio, *Clemens VIII est verus Papa,* est particularis propositio contenta sub illa universali et in illa revelata. Sed contra, qui sic diceret vel priores summulistarum regulas ignoraret. Nam particularis et subalternata alicuius universalis debet esse eiusdem subiecti et praedicati et solo differre signo, quod est a parte subiecti, v. gr. omnis homo est animal, hic homo est animal; et in proposito, omnis episcopus romanus legitime electus est verus Papa, hic episcopus romanus legitime electus est verus Papa. At in illa propositione particulari, quae subsumitur, est diversum subiectum; quippe deficit illud, *legitime electus.* Quare non potest sub illa universali, tamquam particularis, contineri. Quod praecipue verius est, quia quando conditio vel modificatio subiecti est ratio quare illi conveniat praedicatum, si non assumatur et verificetur modificatio vel conditio subiecti in propositione particulari, non bene infertur particularis ex universali nec in illa continetur. V. gr. *omnis homo* [F. 13v] *albus disgregat visum.* Si in particulari non assumatur eadem modificatio, ut dicam *hic homo albus disgregat visum,* non sequetur ex illa universali nec in illa continebitur.

(x) M *in illo*

(40) «Item, utrum credat, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, eius nomine proprio expresso, sit successor Beati Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei.» HARDUIN, *Acta Conciliorum* 8, 915.

Et ut res clarior fiat, entimema illud, quo particularis propositio infertur ex universali, resolvamus, si placet, in syllogismum ibi virtute contentum. Videlicet, *omnis homo albus disgregativus est visus, sed hic homo est albus, ergo est disgregativus visus.* Nisi verificetur minor, non sequitur conclusio nec in illa maiori continetur. Sic in proposito, ratio quare aliquis sit verus Papa est quia est canonice electus; ergo si de aliquo particulari non assumam quod sit canonice electus, non possum inferre quod hic particularis sit verus Papa. Et rursus, non potest esse maior certitudo quod sit verus Papa, quam quod sit canonice electus; et non est de fide certum quod sit canonice electus, ex illo decreto Martini V. Immo, dum adicit illam conditionem subiecto, scilicet *canonice electus,* aperte ostendit se nihil determinare an hic vel ille sit canonice electus; sed dumtaxat, quod, qui sit canonice electus, quicumque ille sit, est verus Papa. Ergo ex illo decreto non habetur esse de fide hunc particularem hominem, exempli gratia Clementem VIII, esse verum Papam. Reliqua, quae ad illud decretum pertinent, in solutionibus argumentorum, ex illo positorum, adiciemus (41).

[53] *Quintum denique membrum probatur,* nempe quod non sit de fide ex consensu Ecclesiae vel Patrum et Doctorum in hanc veritatem tamquam in dogma fidei. Nam ubi est talis consensus quem hactenus non audivimus? Secundo, ducentis abhinc annis Gerson docuit apertissime hoc non esse dogma fidei, cui omnes subscripsere, ut vidimus, quotquot rem attigere usque ad nostra tempora. Nunquam illis Ecclesia aut illius Patres et Doctores se opposuere, nec illam sententiam erroris damnarunt et explodendam curarunt. Ergo nunquam [F. 14] fuit talis consensus Ecclesiae qualis intenditur et necessarius est ut res sit de fide.

[54] [PROBATUR 4.°] *Quarto principaliter argumentor ex parte subiecti,* non posse esse verum Papam, qui non sit proxime capax papatus; sed non est de fide aliquem particularem esse proxime capacem papatus; ergo nec quod sit Papa. Minor probatur, nam reliqua sunt nota. Et praemitto quod notanter dixi *proxime capax;* quia nolo immorari in prima et quasi remota capacitate, scilicet quod sit vir et non femina, quamvis et inde non leve posset sumi argumentum. Nam tametsi non contigerit (quod ego verum existimo), potuit tamen femina mentiri sexum et reputata vir assumi in Pontificem. Haec igitur omitto. Et venio ad proximam capacitatem. Nemo est proxime capax primatus, nisi qui sit vere

(41) Cf. infra n. [80s].

baptizatus; sed de nullo in particulari est de fide aut evidenter notum, esse vere baptizatum; ergo nec quod sit proxime capax papatus. Maior probatur: quia, ut patebit ratiocinatione sequenti, primatus integratur ex potestate ordinis et iurisdictionis; ergo qui non est capax sacramenti ordinis, non est capax dignitatis quae ex ordine integratur. Et adhuc probatur minor: quod aliquis sit vere baptizatus, per se et essentialiter dependet ex intentione baptizantis; illa non constat nec constare potest de fide, secundum revelationem quam hactenus suscepit Ecclesia, neque est evidenter nota; ergo nec quod aliquis sit vere baptizatus; ergo nec quod proxime capax primatus; ergo nec quod in re illum susceperit.

[55] [PROBATUR 5.°] *Quinto, sumo argumentum ex ipsa ratione et essentia primatus.* Quia iste integratur ex utraque potestate, ordinis scilicet et iurisdictionis; quod vel ex illo patet Mt 16 [19] *quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in caelis.* Quibus verbis manifeste promittitur Petro potestas ab[F. 14v]solvendi etiam sacramentaliter; quam non potest habere nisi sit sacerdos. Pertinet etiam ad primatum, quod possit instituere et consecrare sacerdotes et episcopos; quod tamen sine charactere ordinis non posset. Itaque potestas ordinis essentialiter includitur in primatu, secundum suam completam et perfectam rationem. Sed non est de fide quod aliquis particularis susceperit characterem ordinis. Ergo nec quod de facto obtinuerit primatum, secundum suam completam rationem. Minor probatur eodem medio, quo utebar in praecedenti deductione: quia hoc pendet ex intentione ordinantis, quae tamen de fide non constat, sicut nec intentio baptizantis.

[56] [PROBATUR 6.°] *Sexto principaliter argumentor ex electione Summi Pontificis.* Non potest aliquis esse verus Papa, quin sit legitime et canonice electus; sed non et de fide aliquem particularem determinatum fuisse canonice electum; ergo non est de fide quod sit verus Papa. *Maior* manifesta est. Primo quia satis illam innuit Martinus V in verbis supra relatis (42). Secundo, quia, quamvis modum eligendi Summum Pontificem et Vicarium suum reliquerit Christus iuri humano (neque enim circa formam electionis futurorum Pontificum post Petrum aliquid sancivit, unde diversis temporibus diversa fuerunt iura electionis, ut notissimum est), tamen indubitatum omnino est, neminem posse esse verum Papam nisi per legitiman et canonican electionem secundum ius vigens tempore,

(42) Cf. supra nota 40.

quo assumitur in Papam. Tertio, quia alias quicumque schismaticus et in cathedram Petri iniuria subrepens, esset verus Papa; quod haereticum esse non dubito. Restat ergo, quod sine canonica electione nullus potest esse verus Papa. Et haec erat maior.

[57] Iam *probatur minor* variis et urgentissimis rationibus. *Primo*, quia ex decreto Alexandri III in Concilio Lateranensi (refertur cap. *Licet* de electione (43) non est canonica elec[F. 15]tio nisi saltem ex consensu duarum partium illustrissimorum Cardinalium eligentium; et aliter facta electio est irrita et nulla; et sic electus in Pontificem assumi non potest; quin, si aliud praesumpserit, gravi poena mulctatur illis verbis: «*praeterea si a paucioribus, quam a duabus partibus, aliquis electus fuerit ad apostolatus officium, nisi maior concordia intercesserit, nullatenus assumatur; et praedictae poenae subiaceat, si humiliter noluerit abstinere*». Quid ergo? potest esse de fide aliquem electum esse a duabus partibus? Numquid id non constat ex testimonio regulantium numerantiumque suffragia, qui, ut homines, fallere possunt et falli? Vel etiam erit de fide, illos in regulando et renunciando nec decipi nec decipere potuisse, et consequenter in illo actu humanam prorsus conditionem exuisse? Unde haec omnia astruentur? Ubinam illa revelata sunt?

[58] *Secundo* probatur eadem minor ex constitutione felicis recordationis Iulii II. Habetur tomo 5 Conciliorum in Concilio Lateranensi sub eodem Iulio sessione 5 (44). Sic habet: «*Iulius, episcopus etc*», et infra: «*apostolica auctoritate et de potestatis nostrae plenitudine statuimus, ordinamus, decernimus et definimus, quod, si (quod Deus pro sua clementia et in omnes bonitate avertat) contigerit, postquam nos vel successores nostros successive ipse Deus ab huiusmodi universalis Ecclesiae regimine absolverit, humani generis inimico procurante, et ambitione seu cupiditate ad hoc inclinante seu impellente, electionem Romani Pontificis ab eo quem eligi contigerit, vel ab aliquo seu aliquibus de coetu Cardinalium quomodolibet votum dantibus, per simoniacam haeresim in dando vel promittendo vel recipiendo pecunias, bona cuiuscumque generis, castra, officia vel beneficia, seu promissiones vel obligationes, commissam per se vel alium seu alios quomodo*[F. 15v]*cumque et qualitercumque, etiam in duarum partium vel omnium Cardinalium unanimi concordia,*

(43) CIC Decr. Greg. I, 6, 6 (RICHTER 2, 49). El Concilio citado es el Lateranense III (1179), cuyos decretos pueden verse en HARDUIN, 6, 1672ss.

(44) Conc. Lateranense V sess. 5 (HARDUIN, *Acta Conciliorum* 9, 1657-1659).

quomodolibet, etiam per viam assumptionis unanimiter nemine discrepante, etiam sine scrutinio, factae, celebrari vel fieri, non solum huiusmodi electio vel assumptio eo ipso nulla exsistat et nullam sic electo vel assumpto administrandi in spiritualibus et temporalibus facultatem tribuat, sed etiam contra dictum sic electum vel assumptum, de simoniaca labe a quocumque Cardinali, qui eidem electioni interfuerit, opponi et excipi possit, sicut de vera et indubitata haeresi; ita quod a nullo pro Romano Pontifice habeatur; quin immo sic electus a priori suo Cardinalatus etc». Et infra: «*nec huiusmodi simoniaca electio per subsequentem ipsius inthronizationem, seu temporis cursum, aut etiam omnium Cardinalium adorationem seu obaedientiam, ullo (y) unquam tempore convalescat*». Et infra: «*non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et praecipue felicis recordationis Alexandri Papae III quae incipit Licet de evitanda etc*». Et infra: «*decernentes, ex tunc irritum et inane, si secus super his vel aliquo praemissorum a quoquam, scienter vel ignoranter, etiam per nos, attentare contigerit*». Hac igitur praemissa constitutione cautum est, quod, si in electione Romani Pontificis elector aliquis vel electus fuerit labe simoniae infectus, sit ipso iure irrita et nulla; et item, quod ab uno solo ex illustrissimis Cardinalibus de simonia opponi et excipi possit, sicut de manifesta haeresi. Quae constitutio hodie viget, et in conclavi simul cum reliquis constitutionibus ad electionem pertinentibus electoribus intimatur. Quid ergo? De fide erit nullum electorem aut electum esse simoniacum? Quod vitium, tametsi credam a sacro Cardinalium collegio longe abesse, tamen non est de fide quod in electione alicuius Romani Pontificis non intercedat. Quod vero ex hoc defectu electio sit irrita et nulla, docuit [F. 16] Cardinalis Hieronymus Albanus libro de potestate Papae et Concilii 2 p. n. 166, et late sequitur et probat tractatu de Cardinalatu q. 15 (45), ubi plures ad hoc refert auctores et tandem subdit: «*hodie autem praedicta indubitati iuris esse arbitror per extravagantem Iulii II, a qua et huiusmodi electiones irritae fiunt et hoc modo electos Apostolicos non Apostolicos appellandos esse praecipitur*».

[59] *Tertio* probatur eadem minor cap. *Cum inter* de electione, paragrapho *Ideoque causam* (46), qui suspensus est privatur iure eligendi

(y) M *nullo*

(45) CARD. IO. HIERONYMUS ALBANUS, *De potestate Papae et Concilii* p. 2 n. 166 (Venetiis 1544); *De Cardinalatu* q. 15 (Romae 1541).

(46) «Ideoque causam ipsam sub ea forma vobis duximus de consensu partium commitendam, ut, si constiterit quod electio fuerit facta a suspensis, ea omnino cassa-

ex quo sic: non est de fide aliquem vel aliquos necessarios ad complendum numerum duarum partium non esse suspensos, ergo non est de fide electionem fuisse canonicam, ergo nec quod sic electus fuerit verus Papa. Quod argumentum maxime urget de illis qui praecesserunt Alexandrum III, qui edidit constitutionem illam *Licet de evitanda*, de qua supra (47), per quam haec exceptio non videtur admitti in electione Summi Pontificis.

[60] *Q̄uarto*, etiam electus Pontifex per metum in re non adipiscitur primatum ex decreto Concilii Constantiensis sessione 39 illis verbis (48): «*quod si forte electionem Romani Pontificis per metum, qui caderet in virum constantem, seu impressionem de cetero fieri contingat, ipsam decernimus nullius efficaciae vel momenti, nec posse per sequentem consensum, etiam metu praedicto cessante, ratificari vel approbari*». Quod decretum confirmatum fuisse a Martino V, sumitur ex Platina in vita eiusdem Pontificis (49); et Cardinalis Hieronymus Albanus, tractatu nunc citato q. 16 (50), defendit ex hoc defectu electionem esse ipso iure irritam. Sed non est de fide, non intercessisse metum gravem in electione. Ergo nec electionem esse canonicam. Ergo nec est de fide electum esse verum Papam. Omitto cap. *Si quis pecunia* 79 d. et cap. *In nomine Domini* 23 d. (51), ex quibus ad propositum de forma electionis posset etiam sumi argumentum.

[61] [F. 16v] *Quinto*, etiamsi electo Pontifici nulla alia exceptio posset opponi praeterquam defectus duarum partium, ex dicto cap. *Licet* (52), tamen inde non colligitur quod iam electo vel renuntiato non possit opponi hic defectus ex incuria, dolo vel fraude regulantium. Si quidem talis error, dolus vel fraus contingere posset, et sufficienter probari; ergo signum est, dubium esse posse de legitimitate electionis; et consequenter non esse de fide electionem esse legitimam. Et haec erat minor. Sequitur ergo conclusio, quod non sit de fide aliquem particularem determinatum esse verum Papam.

---

ta, ipsi monasterio... de persona idonea consulatur.» CIC Decr. Greg. I, 6, 16 (RICHTER 2, 55).

(47) Véase el texto en el n. [57].

(48) Conc. Constantiense sess. 39 (HARDUIN, *Acta Conciliorum* 8, 857).

(49) B. PLATINA, *Liber de vita Christi ac de vitis Summorum Pontificum omnium* (Venetiis 1479).

(50) CARD. IO. HIER. ALBANUS, *De Cardinalatu* q. 16 (Romae 1541).

(51) CIC Decr. I, 79, 9 (RICHTER 1, 239); Decr. I, 23, 1 (RICHTER 1, 68).

(52) CIC Decr. Greg. I, 6, 6 (RICHTER 2, 49)

[62] *Sexto* pro eadem minori. Ut electio sortiatur effectum, prorsus necessarium est ut consentiat electus electioni de se factae, ut docuit Castro lib. 2 de iusta haereticorum punitione cap. 23 (53) et Augustinus de Ancona De potestate ecclesiastica q. 4 a. 3 in corpore ad finem (54) et quotquot docent post semel acceptatam electionem posse Papam renunciare papatui iuxta cap. 1 *De renuntiatione* lib. 6 (55). In quibus sunt Alvarus Pelagius lib. 2 De planctu Ecclesiae a. 10 et 11 (56), Augustinus de Ancona quaestione illa per plures articulos, Aegidius Columnius tractatu De renuntiatione Papae (57) et communiter iureconsulti in dicto cap. 1 *De renuntiatione* lib. 6. Itaque, ut firma sit electio, necessarius est consensus electi, quod vel ipse usus manifeste comprobat; sed quod electus vere consenserit non est de fide, nec evidenter notum, potuit enim exterius fingere consensum et interius dissentire; ergo nec est de fide, quod rata et firma sit electio; ergo nec quod electus sit verus Papa.

[63] Et antequam hinc discedam (z), efficaciter argumentor ab auctoritate Romanorum Pontificum Nicolai II, Alexandri III et Iulii II, quorum sunt decreta in hac ratiocinatione relata. Cum enim in quibusdam casibus irritaverint electionem Romani Pontificis ipso facto, ut nullum ius tribuat electo, etiamsi ipse ut Papam se gerat et ut talis habeatur, apertissime senserunt non esse de fide aliquem particularem esse verum Papam, sicut nec quod in alicuius electione circumstantiae irritantes non intercesserint. [F. 17] Quare ex vitio electionis posse contingere, ut qui existimatur Papa non sit verus Papa, aperte docuerunt et merito Baldus, l. fin. c. sententiam rescindi non posse, his verbis: «*princeps enim legitime electus est in terris Deus, maxime Papa; sed non legitime electus, est diabolus in terris et apostata* (79 *dicto cap. si quis*), *et ideo non habet claves regni, sed inferni*»; et Augustinus de Ancona De potestate Ecclesiae q. 2 a. 5, Cardinalis Hieronymus Albanus locis supra citatis, et Alvarus Pelagius lib. 2 de planctu Ecclesiae a. 10 consideratione 1.

(z) M *discedant*

(53) A. DE CASTRO, *De iusta haereticorum punitione* lib. 2 cp. 23 (Salmanticae 1547) fol. 161v.

(54) AUGUSTINUS TRIUMPHUS O. S. A., *Summa de potestate ecclesiastica* q. 4 a. 3 (Romae 1473).

(55) CIC VI Decr. I, 7, 1 (RICHTER 2, 929s).

(56) ALVARUS PELAGIUS, *De planctu Ecclesiae* lib. 2 a. 10s (Lugduni 1517) fol. 110-112.

(57) AEGIDIUS ROMANUS (COLONNA), *De renuntiatione Papae*; editado por ROCABERTI, *Bibliotheca Maxima Pontificia* 2, 1ss (Romae 1697).

[65] [PROBATUR 7.º] *Septimo principaliter argumentor ex tempore in quo incipit esse de fide hunc particularem hominem esse verum Papam.* In quo nec inter se conveniunt pauci illi recentiores, quibus opposita arrisit sententia; quibusdam affirmantibus rem esse de fide ab ipsa electione Cardinalium, alii ex quando Ecclesia renuntiatum Papam ut talem suscepit et venerata est. Sed prius quam utrumque impugnem, praemittamus, si placet, aliud esse rem esse de fide et revelatam a Deo, et aliud quod mihi v. gr. sit sufficienter proposita, ac perinde quod ego tenear credere; et eadem ratio est de aliis fidelibus. Notissimum hoc est et probatione non indigens, siquidem ipsa vulgatissima fidei dogmata non obligant ad credendum illum, cui non sunt sufficienter proposita. Hinc ergo, non contendo ex quando teneantur fideles ad praestandum assensum fidei divinae huic propositioni *Clemens est verus Papa,* sed ex quando illa sit de fide et a Deo revelata, vel saltem ex quando caepit ut talis innotescere. Iam ergo ad propositum: probo rem esse de fide, antequam Papa ut talis suscipiatur ab universa Ecclesia. Quod sic deduco: Cardinalibus regulantibus suffragia est de fide hunc esse verum Papam, antequam electus renuntietur toti Ecclesiae; ergo antequam suscipiatur ab ea, iam est de fide illa propositio. Antecedens probo: nam procul dubio in opposita sententia dicen[F. 17v]dum est, quod quandocumque alicui constat omni certitudine possibili in tali casu aliquem esse canonice electum in Papam, iam constat esse de fide illum esse verum Papam; sed hoc modo constat regulantibus antequam renuntient electionem factam; ergo iam illis est de fide. Patet consequentia, quia iam illis constat canonica electio omni certitudini possibili in tali casu. Et hinc ulterius, ergo et cum primum illa electio renuntiatur vel intimatur reliquis electoribus in conclavi, iam illis est de fide illum renuntiatum esse verum Papam. Consequentia tenet ex eodem principio. Et inde ulterius, ergo reliqui omnes fideles et tota Ecclesia, quandocumque audit a Cardinalibus Urbanum v. gr. esse rite electum, tenetur fide divina credere illum esse verum Papam et ut talem suscipere. Ergo iam erat de fide, priusquam suscipiatur a tota Ecclesia. Immo et quicumque fidelis tenebatur fide divina id credere, dummodo esset sibi sufficienter propositum, puta a todo Collegio Cardinalium, vel aliquibus eorum serio, ut decet, rem agentibus; quia haec erat sufficientissima certitudo de canonica electione. Concedent sane has omnes deductiones, nec video qualiter negari possint. Restat ergo falsum esse secundum quod asserebatur, nempe illam propositionem tunc incipere esse de fide quando electus a tota Ecclesia suscipiebatur ut Papa. Iam impugno primum, videlicet esse de fide ab ipso

puncto regulationis. Nam mirum prorsus est, quod ex simplici facto regulationis, in quo potuit esse deceptio vel ex errore numerantium vel ex dolo et mendacio illorum, agnoscatur revelata illa propositio, quae antea talis non agnoscebatur; nec vero audita erat. Et magis mirum, quod de novo Ecclesia modo incipiat agnoscere ut revelatam illam propositionem, quam antea nec audiverat; et quod sub interminatione perfidiae teneatur alli assentire fide divina, sine nova revelatione, sine novo Concilio vel decreto Pontificis, sine novo consensu Ecclesiae, [F. 18] ex solo simplici facto quorumdam hominum, in quo, ut iam vidimus, ex pluribus capitibus potuit esse deceptio. Nam dato quod illa propositio esset implicite revelata in aliquo Scripturae testimonio vel definitione Pontificis vel Concilii, non potuit incipere esse de fide explicite ex solo quorumdam hominum facto, sine aliqua nova explicatione infallibilis auctoritatis. Nisi iam dicant, testimonium illud Cardinalium regulantium esse infallibile. Quod tamen in catholici hominis mentem non veniet.

[66] [PROBATUR 8.°] *Octavo argumentor ex consequentibus.* Nam ex contraria opinione sequitur confundi schisma et haeresim, aut saltem schisma per se opponi fidei et non soli caritati, vel denique schisma separari non posse ab haeresi vel errore. Cuius oppositum docuit eleganterque probavit Divus Thomas 2.2 q. 39 a. 1; legatur in corpore ad finem et in solutione ad 3, ubi docet, quod, tametsi omnis haereticus sit schismaticus, non tamen e contra schismaticus est haereticus. Quod omnino falsum est in contraria opinione. Legatur etiam Augustinus Anchinotanus, De potestate ecclesiastica q. 25 a. 1 et 2 (58). Et S. Thomam sequuntur plures ex iureconsultis qui habentur tomo 11 tractatuum. Praecipue tamen legatur Ioannes Azorius lib. 8 Institutionum Moralium cap. 20 quaesito 4 in fine (59), ubi disserte hanc nostram tradidit sententiam. Quod vero sequatur inconveniens illatum, patet. Quia si est de fide hunc esse verum Papam, quicumque negaret illum esse talem, nec ut talem susciperet, simul esset haereticus et schismaticus. Quare, non dubium quin S. Thomas et omnes eius discipuli sint huius nostrae sententiae. Et urget quod acute notavit Castro lib. 1 contra haereses cap. 9 citato (60), quod schismatici nunquam hactenus sint habiti haeretici, etiamsi aliquando haereticorum poenam sustinuerint vel posset illis infligi;

---

(58) AUGUSTINUS TRIUMPHUS, *Summa de potestate ecclesiastica* q. 25 a. 15 (Romae 1473).

(59) I. AZOR S. I., *Institutiones Morales lib.* 8 cp. 20 (Romae 1600) t. 1 p. 799.

(60) A. DE CASTRO, *Adversus haereses* lib. 1 cp. 9 (Venetiis 1546, p. 97s.

quia merito eadem poena diversis delictis imponi potest. Ex quibus etiam sequitur, esse nostrae sententiae illos aucto[F. 18v]res, qui, cum dicant haereticos non essse membra Ecclesiae, schismaticos tamen inter membra connumerant. Frustra enim et ridicule ista distinguerent, si schisma non posset ab haeresi separari.

[67] [PROBATUR 9.°] *Nono et ultimo argumentor ab exemplo.* Unum et alterum referam quae rem non mediocriter confirmabunt. *Primum sit de S. Felice,* qui secundus dictus est et fuit quartus ante Gregorium Magnum, quem Ecclesia multis abhinc annis peculiari officio ut Papam et Martyrem colit. Hic electus fuit, pulso Liberio Papa, industria et potentia Constantii Imperatoris Arriani. Pulsus autem fuit Liberius et exilio relegatus in Thraciam, quia Arrianis noluit consentire. Et eodem Imperatore agente, in eius locum suffectus est Felix, vivente Liberio et tunc sane pro nicaena fide strenue dimicante. Ergo Felix non est verus Papa, vel saltem non est de fide fuisse verum Papam. Patet, quia, legitimo Papa vivente, non potuit alter eligi. Et hinc fortasse, ut refert Theodoretus lib. 2 Historiae cap. 17 (61), populus romanus nolebat cum hoc Felice communicare. Et fortasse hinc etiam ab Augustino ep. 165 (62), quae est ad Generosum, et Optato Milevitano lib. 2 contra Parmenianum (63), inter Pontifices non recensetur; sed Damasum dicunt successisse Liberio.

[68] *Dicet aliquis* Liberium, tandem victum taedio exilii, Arrianis subscripsisse; et ideo tamquam haereticum fuisse depositum; et saltem ex illo tempore Felicem fuisse legitimum Papam, ex tacito consensu cleri romani, ad quem tunc electio pertinebat. Sed contra, ut gravissimi testantur auctores, Liberius adhuc tempore exilii sui fuit integer in fide. Legatur Severus Sulpicius lib. 2 Sacrae Historiae (64), Socrates lib. 2 cap. 29 (65), Theodoretus lib. 9 cap. 37 (66); et Ambrosius lib. 3 De virginibus ad initium (67) appellat illum beatae memoriae Pontificem. Quodsi alii auc-

---

(61) THEODORETUS, *Historia Ecclesiastica* lib. 2 cp. 14, en la edición de SCHULZE, reproducida por Migne, que sigue la división hecha por Sirmondi (MG 82, 1039); en la edición reciente de PARMENTIER vuelve a ser lib. 2 cp. 17 (GChS 19, 137).

(62) S. AUGUSTINUS, *Epistola* 53 n. 3: ML 33, 196; CSEL 34, 154.

(63) S. OPTATUS MILEVITANUS, *De schismate Donatistarum adversus Parmenianum* lib. 2 n. 3: ML 11, 949; CSEL 26, 37.

(64) SULPICIUS SEVERUS, *Historia Sacra* lib. 2 cp. 39: ML 20, 151; CSEL 1, 93.

(65) SOCRATES, *Historia Ecclesiastica* lib. 2 cp. 37: MG 67, 321.

(66) THEODORETUS, *Historia Ecclesiastica.*

(67) S. AMBROSIUS, *De Virginibus* lib. 3 cp. 1 n. 1: ML 16, 219.

tores, ut Hieronymus in Chronico, anno 351 (68), et Athanasius [F. 19] epistola ad solitariam vitam agentes (69), dicunt Liberium Arrianis consensisse victum exilio vel metu mortis, saltem res fuit eo tempore dubia; quia plures utriusque partis auctores eodem tempore vixerunt, et Rufinus eiusdem etiam aetatis de illa dubitanter loquitur lib. 1 Historiae cap. 27 (70); et stante dubio de delicto non potuit Liberius iuste deponi, quia necesse est sit plane convictus de crimine.

[69] *Dicet aliquis secundo:* communicabat cum Arrianis et agens Sirmii consensit damnationi et eiectioni Athanasii a sua sede Alexandrina. Sed contra hoc, etiam dato, urget adhuc exemplum. Nam constat noluisse subscribere confessioni illius conciliabuli; quin potius, tunc catholicam suam fidem publica confessione protestatum fuisse. Illa vero quae obiciuntur, etsi crimina sint et de illis demus fuisse convictum, non tamen talia sunt quod ob illa possit iuste deponi. Siquidem Athanasio alia etiam crimina obiciebantur, tametsi falso, propter quae potuit illius damnationi consentire. Nec vero credi potest fidem eius damnasse, quam eodem tempore Liberius ipse publice professus est; aut saltem de errore contra illam non fuit convictus; vel ut minimum, non est certum ob illa crimina, etiam plane probata, potuisse Liberium iuste deponi. Ergo nec quod potuerit Felix rite eligi; et consequenter nec erit de fide quod sit verus Papa. Et tamen, ut talis suscipitur ab Athanasio Patriarcha Alexandrino in epistola ad eumdem Felicem (71) et ut talis colitur ab Ecclesia multis abhinc annis (72). Quare de illo certum est inter catholicos fuisse verum Papam. Et tamen non videtur de fide esse, quod sit verus Papa, nisi velis esse de fide, vel omnino certum, Liberium fuisse haereticum, vel de haeresi sufficienter convictum. Quem tamen pie ab hac nota defendunt plures huius tempestatis auctores, in quibus Bellarminus lib. 4 de Romano Pontifice cap. 9 (73), Albertus Pighius Campensis lib. 4. Monarchiae ecclesiasticae (74) et Stanislaus Hosius lib. 2 De [F. 19v] legitimis

---

(68) S. HIERONYMUS, *Chronicon*, ad ann. 354: ML 27, 501s.

(69) S. ATHANASIUS, *Historia Arianorum ad monachos* 41: ML 27, 501s.

(70) RUFINUS, *Historia Ecclesiastica* lib. 1 cp. 27: ML 21, 498.

(71) Entre las obras espurias de S. ATANASIO: MG 28, 1473ss.

(72) Véanse los BOLANDOS, *Acta Sanctorum*, Iul. 7, 54ss. Sin embargo, sobre la confusión de este Félix con otro mártir romano de igual nombre, véase DUCHESNE, *Liber Pontificalis*, introd. p. CXX-CXXV.

(73) S. ROBERTUS BELLARMINUS, *De Summo Pontifice* lib. 4 cp. 9 n. 5.

(74) A. PIGHIUS, *Hierarchiae Ecclesiasticae assertio* lib. 4 (Coloniae 1544).

iudicibus rerum ecclesiasticarum aliquanto post medium (75) ubi plura erudite congerit.

[70] *Sed age,* demus Liberium fuisse arrianum, et iure a sede sua pulsum, et loco eius legitime substitutum Felicem. Difficultas eadem perseverat. Nam quomodo iterum, pulso Felice, Liberius restitutus est, toto acclamante et suscipiente populo romano? Dices fortasse: Felix fuit arrianus, qualiter locutus videtur Hieronymus in catalogo in Acatio (76), et ideo iure depositus; et Liberius, iam correctus, non tam restitutus, quam denuo electus. Sed contra, quoniam Ecclesia Felicem ut Martyrem colit, quia pro defensione fidei Nicaenae, dum pontificatum agebat, Constantium Imperatorem arrianum ut haereticum damnavit, et ab illo martyrio coronatus est. Quamdiu ergo Felix et Liberius convixerunt, postquam restitutus est Liberius, nescio de quo illorum dicas esse de fide fuisse verum Pontificem. Et tamen alter illorum fuit verus Papa, utpote alterius electio et institutio legitima fuit atque canonica. Ergo de singulis, quos ut Papas suscipimus, non est de fide certum, esse veros Papas.

[71] *Secundum exemplum sit de Formoso,* quem quinque annis et sex mensibus sedisse in cathedra Petri et ab universa Ecclesia ut verum Papam fuisse susceptum, omnes testantur historiae. Et tamen successor eius, Stephanus VI, declaravit illum non fuisse verum Papam, nec ut talem habendum. Cui Stephano, cum tres Pontifices ordine succedentes contradixissent, praecipue Ioannes IX in Concilio episcoporum, statuens et declarans Formosum fuisse verum Papam et ut talem habendum et omnia eius acta rata esse firma et observanda, Sergius III, Ioannis IX successor, e contra determinat Formosum non fuisse verum Papam nec ut talem habendum. De qua historia legatur Bellarminus lib. 4 de Romano Pontifice cap. 12 (77).

[72] Postulo ab auctoribus oppositae sententiae, an sit de fide [F. 20] Formosum fuisse verum Papam. Affirmabunt profecto de fide esse, nisi forte ob aliquale schisma, quod tunc fuit, illo Cardinale ambiente pontificatum qui postea vere fuit Papa Sergius III, velint non esse de fide Formosum fuisse verum Papam. Sed contra, schisma illud fuit brevis-

(75) ST. HOSIUS, *Confutatio Prolegomenon Brentii* lib. 2 (Opera, Venetiis 1573) fol. 225.

(76) S. HIERONYMUS, *De viris illustribus* 98: ML 23, 738; TU 14, 47. Pero nótese que el epiteto de «arriano» añadido a Felix, está interpolado.

(77) S. ROBERTUS BELLAMINUS, *De Summo Pontifice* lib. 4 cp. 12 n. 13-17.

simum et postea usque ad finem vitae Formosus (a) pacificus fuit in pontificatu romano et ab universa Ecclesia ut Pontifex susceptus. Ergo toto illo tempore eadem certitudine fuit verus Papa, ac si nullum schisma in eius electione fuisset. Quodsi ex hoc capite potuit de illo dubitari, potuit pariter de quatuor Pontificibus, qui ab illo intercesserunt usque ad Sergium III; poterit etiam de Ioanne XXII, de Eugenio IV et de reliquis, in quorum tempora aliquod incidit schisma. Quod dici non potest. Igitur erit de fide Formosum fuisse verum Papam. Ergo Pontifices Stephanus VI et Sergius III, qui contrarium asseruerunt, fuerunt haeretici vel errarunt contra fidem; praecipue Sergius, qui Formosum damnavit contra sententiam Ioannis IX et Concilii sub illo celebrati. Fatebuntur fortasse consequentiam adversarii. Sed tunc contra illos est primo, quia ut Pontificibus deferant, quosdam haeresis damnant; quasi pium non sit et gloriosum neminem hactenus pontificem Romanum fuisse haeresi infectum. Sequitur secundo, quod Stephanus et Sergius errarunt ut Pontifices. Consequens est haereticum; ergo antecedens falsum. Sequelam probo: id decernunt ut Pontifices, quod toti Ecclesiae ut credendum et observandum proponunt; sed taliter proposuerunt et determinarunt Formosum non fuisse verum Papam; ergo etc. Vide in quas angustias se coniciant isti, ut suam sententiam mordicus defendant.

[73] Tertio, agamus mitius cum illis. Errarint dumtaxat ut particulares personae, quod sine periculo in fide posset affirmari. Tunc insto: quomodo ergo Ecclesia Pontificem haereticum passa est [F. 20v] quousque ille naturali morte vitam finivit? quomodo tam Stephanum VI quam Sergium III non deposuit, errorem contra fidem publice dogmatizantes? quid ergo? mallent fateri Ecclesiam tunc errasse non deponendo unum et alterum Pontificem, haereticum et dogmatizantem haeresim et inde exponendo se periculo in fide, quam recognoscere non esse de fide hunc particularem hominem esse verum Papam?

[74] *Ex his quae dicta sunt, facile reicitur secunda sententia* supra relata, nempe esse per se secundo de fide, hunc particularem hominem esse verum Papam. Nam praemissa omnia argumenta satis probant, id nullo modo ad fidem divinam pertinere. Specialiter tamen contra illam sententiam est primo, quod loquitur contra omnes theologos. Nullus enim hactenus distinxit assensum fidei in per se primo, et per se secundo. Agnoverunt theologi hanc distinctionem in obiecto materiali fidei; ut ea

(a) M *Formosius*

dicant credibilia per se primo ad fidem pertinere, quae per se conducunt ad vitam aeternam, cuiusmodi sunt mysterium Trinitatis, Incarnatio et Passio Christi Domini. Alia vero dicunt esse secundaria obiecta fidei, quae, licet sint expresse revelata, non tamen ita per se conducunt ad salutem; ut quod David habuit fundam; licet in aliquo sensu mystico vel allegorico possint ad salutem aliqualiter conferre. At in ipso obiecto formali vel assensu fidei, nullus ita distinxit. Sed omnes conveniunt omnia aeque esse credenda, eodem assensu et eadem certitudine, si sufficienter proponantur et sit actus circa illa. Secundo, id probat manifesta ratio. Nam id quod dicitur credendum per se secundo, vel revelatum est a Deo vel non; si est revelatum, ergo participat eamdem rationem formalem obiecti cum reliquis revelatis, ergo per se et adaequate pertinet ad eumdem habitum; si non est revelatum, non potest credi fide divina nec per se primo, nec per se secundo. Et hinc tertio, omnino [F. 21] falsum est, quod possit subesse falsum illi, quod creditur fide divina, quomodocumque credatur. Nam si fide creditur, ergo est revelatum a Deo; ergo non potest esse falsum. Patet, quia Deus nec fallere nec falli potest. Et si semel admittamus falsum esse posse quod Deus revelat, testimonium Eius erit fallibile, et consequenter nihil constans in fide. Subiciamus exemplum: tam impossibile est falsum esse quod David habuerit fundam, quam quod Verbum carnem assumpsit; siquidem utrumque est a Deo revelatum. Denique, si hunc particularem hominem esse verum Papam est revelatum a Deo et fide divina creditum, licet per se secundo, ergo qui oppositum diceret esset haereticus, sicut qui negaret David gestasse fundam et Tobiam habuisse canem. Sed hic auctor eum, qui negaret hunc esse verum Papam, solum damnat temeritatis et suspicionis in fide (78). Ergo illud non erat creditum fide divina adhuc secundario.

[75] Satis, ut credo, probatum relinquitur ex dictis, vel veram, vel saltem probabilem et ab omni nota liberam, esse sententiam illam, quae affirmat non esse de fide hunc particularem hominem esse verum Papam. Quod ut clarius fiat ex solutione argumentorum in oppositum, iam ad illa diluenda progredior.

[76] [SOLUTIO OBIECTIONUM.] *Ad fundamentum Gregorii de Valentia ut respondeam* (79), *primo* suppono adhuc sub iudice litem esse, an pro-

(78) Véase en la nota 4.ª el texto aludido de la tesis de Báñez.
(79) Véase supra n. [6].

positio, cui assentimur ex vi discursus, et non aliunde, possit esse de fide, pluribus et non minoris notae theologis asserentibus talem propositionem ex vi discursus non esse de fide; quia fides divina non est discursiva, sed immediate innititur revelationi Dei. Quare, licet efficax esset discursus istius auctoris, probaret quidem propositionem esse certam; non tamen probaret esse de fide, nisi aliunde constet ese revelatam in Scriptura definitione Pontificis vel Concilii etc. Et tamen satis pro[F. 21v]batum est supra, illam non esse revelatam.

[77] *Secundo,* quidquid de hoc sit, si hoc argumentum aliquid probat, etiam implicat ipsum auctorem, propter duo. Primo, quoniam asserit de fide esse hunc esse Papam, tantum postquam exercuit aliquem actum iurisdictionis circa universalem Ecclesiam. Contra quod est, quod non constituitur in esse Papae per exercitium talis actus, sed quia potens erat exercere. Prius autem est potens exercere actum, quam exerceat; sicut universaliter prius est aliqua res in actu primo, quam secundo; ergo prius est Papa, quam exerceat actum iurisdictionis; ac per consequens prius nos sumus subditi et obligati quasi in actu primo ad obaediendum, quam quod ipse imperet. Et tamen ex hoc quod simus obligati obaedire, nondum colligitur esse de fide istum esse verum Papam, ut ipse fatetur. Ergo nec postquam exercuit actum aliquem iurisdictionis licebit id colligere. Quia per hoc quod Papa exerceat actum aliquem iurisdictionis circa universalem Ecclesiam, v. gr. concedat iubilaeum, non definit se esse verum Papam. Ergo si antea non erat de fide quod sit Papa, nec postea. Deinde sibi ipsi repugnat: quia loco citato paragrapho «prima ratio» asserit (80) esse de fide, habere assistentiam Spiritus Sancti illum, qui, licet non sit verus Papa, tamen suscipitur ut talis et de facto aliquid determinat in rebus fidei et morum. Ecce ergo istum Deus audiri (b) vult, ex eius sententia. Mirabile enim esset et prorsus incredibile, quod sit de fide, aliquem habere assistentiam Spiritus Sancti ac si esset verus Pontifex, et tamen quod non sit de fide Deum velle nos illi obaedire. Et non est de fide, secundum istum auctorem, quod ille talis in re sit Summus Pontifex. Cum potius fateatur idem auctor, illum in re non esse talem. Ergo ex hoc, quod Deus velit nos obaedire vero Pontifici, non

(b) M *audire*

(80) G. DE VALENTIA, *Analysis fidei catholicae* lib. 7 cap. 13 (Lutetiae Parisiorum 1610) p. 838.

licet colligere esse de fide quod talis persona, v. gr. Clemens vel Urbanus, sit verus Papa.

[78] [F. 22]. *Denique,* si eius argumentum vim haberet, probaret esse de fide quod invictissimus noster Philippus Rex Catholicus est Rex, et quod Franciscus v. gr. qui praepositus est in aliqua religione, est verus praelatus. Sequela patet. Nam eo ipso quod aliquis istorum indubitanter et prudenter creditur esse rex vel praelatus, de fide est quod teneamur illi obaedire, ex illo ad Heb. 13, [17] *obaedite praepositis vestris.* Consequens autem est adeo falsum, ut refutatione non indigeat. Ergo eius collectio firma non est.

[79] *Et ex his patet solutio ad formam argumenti.* Nam data illa maiori, «*quem Christus Dominus in his, quae vel ad fidem vel ad mores pertinent, ab universa Ecclesia audiri vult, is verus ac legitimus pastor est universae Ecclesiae*», nihil contra nos. Quoniam, licet concedamus esse verum pastorem, quem Deus audiri (c) vult, non tamen est de fide quod sit verus pastor; sed satis est, quod prudenter habeatur ut talis, ut Deus illum audiri (d) velit. Praesertim quod, ut vidimus, ex sententia istius auctoris non solum Deus vult audiri illum, qui in re est verus pastor, sed etiam illum, qui prudenter et indubitanter habetur ut talis. Si autem in maiori assumat de fide esse, esse verum pastorem quem Deus audiri vult, maior est falsa, ut ex dictis patet; nec illam assumpsit auctor iste; quia nec probare potuit, nec testimonia ab illo adducta in probatione huius maioris aliquid probant contra hanc doctrinam, puta illud *pasce oves meas;* idem iudicium est de reliquis. Nam licet illa verba non solum dicta sint ad Petrum sed ad quemcumque eius successorem, non colligitur ex illis hanc particularem personam esse legitimum successorem Petri. Quoniam ad hoc ut pascat, satis est quod a parte rei sit successor Petri; vel quod prudenter existimetur et suscipiatur ut talis a tota Ecclesia; huic enim Deus specialiter assistet, ut pascat Ecclesiam suam in doctrina et moribus.

[80] [F. 22v] *Ad secundum* (81) posset primo responderi, ex illo testimonio non colligi, esse de fide hunc particularem hominem esse verum Papam. Quia non omnes articuli Ioannis Wiccleff et Ioannis Hus,

(c) M *audire*
(d) M *audire*

(81) Véase supra n. [7].

qui ibi damnantur a Martino V, damnantur ut haeretici; sed quidam etiam ut temerarii, seditiosi, etc.; ut ibidem dicitur (82). Concedimus ergo esse temerarium et seditiosum negare hanc determinatam personam, v. gr. Clementem VIII, esse verum Papam; immo et esse schismaticum et non levem haeresis suspicionem ingerere, quamvis non sit de fide illum esse verum Papam. Secundo respondetur, quod in dicta bulla non dicitur, quod teneamur credere absolute hanc determinatam personam esse verum Papam; sed credendum esse, quod canonice electus, qui pro tempore fuerit, est verus Papa. Quod libenter fatemur. Tamen non est de fide, quod haec particularis persona sit canonice electa, ut ex dictis patet. Ac per consequens nec est de fide, quod haec particularis persona, absolute loquendo et sine aliqua suppositione, sit verus Papa.

[81] Ex quibus iam patet *solutio ad confirmationem* (83). Fateor namque de unoquoque singulari determinato, nomine proprio expresso, certum esse quod sit verus Papa, supposito quod sit canonice electus, ita ut tam certum sit illum esse verum Papam ac quod sit canonice electus. Tamen, sicut non est de fide quod sit canonice electus, ita nec absolute et sine suppositione est de fide quod sit verus Papa. Nam inquiro, quo pacto posset Martinus V definire, quemcumque suum successorem in particulari esse legitime electum, cum hoc penderet ex factis hominum qui saepius ut tales deficere possunt? Et quod haec sit mens Martini V loco citato, colligitur aperte ex errore Ioannis Hus quem ibi directe damnat. Nam inter articulos huius haeretici, 26 habet in haec verba (84): «*non eo ipso, quod electores, vel maior pars eorum, consenserit viva voce secundum ritus hominum in personam* [F. 23] *aliquam, eo ipso illa persona est legitime electa, vel eo ipso est verus et manifestus successor, vel vicarius Petri Apostoli, vel alterius Apostoli in officio ecclesiastico; unde sive electores bene sive male elegerint, operibus electi debemus credere. Nam eo ipso, quo quis copiosius operatur meritorie ad profectum Ecclesiae, habet a Deo ad hoc copiosius potestatem*». Ecce dicebat haereticus, dignitatem primatus non esse coniunctam cum legitima electione. Contra quem, ex opposito, decernit Pontifex, quod quicumque sit legitime electus sit verus Papa. Non ergo determinat absolute talem personam esse Summum Pontificem, nisi supposito quod sit legitime electa; vel (quod idem

(82) Cf. HARDUIN, *Acta Conciliorum* 8, 908.
(83) Véase supra n. [7].
(84) HARDUIN, *Acta Conciliorum*, 8, 913.

est) determinat, quod dignitas papalis sit coniuncta cum canonica et legitima electione.

[82] *Ad tertium* (85) neganda est consequentia. Incunctanter enim et omni procul dubio assero cum omnibus catholicis, esse de fide credendum id quod ut tale definitur a Summo Pontifice, v. gr. Clemente VIII, quamvis non sit eadem fide credendum eumdem Clementem esse Summum Pontificem. Quia infallibilitas rei, quam definit, immediate pendet ex assistentia Spiritus Sancti. Haec autem promissa est a Christo Petro et ei, qui a tota Ecclesia indubitanter et prudenter suscipitur tamquam eius successor, quamvis non credatur fide divina esse talem. Quod potest exemplis explicari. Primo in sententia non paucorum theologorum, asserentium quod, ut Papa definiat aliquid de fide, necessario debet praecedere sufficiens consultatio et diligentia; et tamen res definita erit de fide, quamvis non sit de fide praecessisse talem diligentiam. Ita Corduba lib. 4 q. 1 prop. 9 et 10 paragrapho secunda «limitatio» et paragrapho quarta «in propositione» (86), Canus lib. 5 cap. 5 paragrapho «alter vero» (87), Castro lib. 1 De iusta haereticorum punitione cap. 4 paragrapho «quarta via» (88), Báñez 2.2 q. 1 a. 10 in prioribus commentariis dubio 2 (89), Axiomata christiana lib. 2 a. 3 cap. 9 (90), Franciscus Torrensis lib. 3 de Summi Pontificis supra Concilia aucto[F. 23v]ritate longe ab initio (91), Didacus Stella in Lucam cap. 22 (e) ad illud *et tu aliquando conversus*, paragrapho «praeterea locus iste» (92); Stanislaus Hosius non leviter indicat lib. 2 de legitimis iudicibus rerum ecclesiasticarum iam a medio, agens de Honorio (93); sentit Sylvester verbo «fides» paragrapho ultima (94), et alii. Quamvis et illam diligentiam praecessisse,

(e) Gr omite la cita de Stella.

(85) Véase supra n. [8].
(86) A. CORDUBA, *Quaestionarium theologicum* lib. 4 q. 1 prop. 9 et 10.
(87) M. CANO, *De locis theologicis* lib. 5 cp. 5 (Matriti 1791) t. 1 p. 351.
(88) A. DE CASTRO, *De iusta haereticorum punitione* lib. 1 cp. 4 (Salmanticae 1547) fol. 12v.
(89) D. BÁÑEZ, *In* 2.2 q. 1 a. 10 dub. 2 (Duaci 1615) p. 55s.
(90) G. CASAL O. S. A., *Axiomata christiana ex divinis Scripturis et SS. PP. cum ecclesiasticis tum etiam scholasticis* lib. 2 a. 3 cp. 9 (Conimbricae 1550) fol. 84s.
(91) F. TORRES, *De Summi Pontificis supra Concilia auctoritate* lib. 3 (Florentiae 1551) p. 88ss.
(92) D. STELLA, *In Sacrosanctum Iesu Christi Evangelium secundum Lucam enarrationes* cp. 22 (Lugduni 1583) t. 2 p. 472.
(93) ST. HOSIUS, *Confutatio Prolegomenon Brentii* lib. 2 (Opera, Venetiis 1573) fol. 226.
(94) SYLVESTER PRIERAS O. P., *Summa Summarum* «fides» (Lugduni 1585).

ut certum et indubitatum sit habendum, ut optime Corduba et Canus ubi supra. Et in hoc conveniunt omnes, quotquot asserunt illam praemissionem (f) diligentiae esse necessariam, praeter unum Valentiam; qui admittens illam esse necessariam, voluit esse de fide quod in re sit adhibita, lib. 8 Analysis fidei cap. 3 ad 6 paragrapho «huc accedit» (95). Et cum reliquis esse sentiendum, probatur, facile. Nam quo pacto potest esse de fide id, quod pendet ex facto atque prudentia Pontificis et reliquorum, quos in concilium ascivit? Itaque nec fides determinat, quod facta sit sufficiens diligentia circa ea, quae difiniuntur, nec rursus quaenam dicatur et sit sufficiens diligentia ad definiendum; sed id totum ex regula prudentiae mensurandum est. Sicut ergo prudenter credimus Pontificem facere sufficientem diligentiam ad definiendum, et de fide suscipimus id, quod definit, ita prudenter et indubitanter suscipimus ipsum Clementem tamquam Summum Pontificem, et de fide divina credimus illa quae definit. Et amplius declaratur, quia quando credimus de fide propositionem definitam a Summo Pontifice, talis assensus fidei non innititur discursui et ratiocinationi, qua colligimus propositionem definitam esse de fide ex eo quod sit de fide definientem esse Papam. Sed talis assensus immediate innititur revelationi divinae. Haec autem revelatio divina est per assistentiam Spiritus Sancti; et talis assistentia est promissa illi, qui revera est pastor Ecclesiae et ut talis prudenter et indubitanter suscipitur.

[83] *Sed contra,* quid si in re non sit Summus Pontifex ille, qui definit? Huic non est promissa assistentia Spiritus Sancti. [F .24] Ergo non erit de fide id quod definit. Sed dato, quod non sit de fide hanc particularem personam esse Papam, contingere posset quod re vera non esset talis. Ergo non relinquitur firma et certa regula ad credendum fide divina ea, quae definiuntur a Pontifice, nisi dicamus esse de fide quod sit Papa. *Respondeo primo* ad specialem Dei providentiam, qua consulit dilectae suae Ecclesiae, pertinere, ut non permittat suscipi indubitanter aliquem a tota Ecclesia in verum Papam, qui non sit legitime et canonice electus habeatque omnia requisita ut sit vere talis; sicut ad eamdem providentiam pertinet, quod non permittat Pontificem canonice electum definire, quin praecedat sufficiens diligentia; quamvis neutrum istorum sit de fide. *Secundo addo,* etiamsi per impossibile demus indubitanter

(f) M *promissionem*

(95) G. DE VALENTIA, *Analysis fidei catholicae* lib. 8 cp. 3 ad 6 (Lutetiae Parisiorum 1610) p. 91.

haberi ut Pontificem qui a parte rei non est talis, tamen non permittet Deus hunc definire quae vel ad fidem vel ad mores universalis Ecclesiae pertinent. *Tertio,* si demus adhuc quod iste talis definiat, non errabit in definiendo; quia non potest tota Ecclesia errare in credendo, cui promissa est etiam assistentia Spiritus Sancti: *Ego vobiscum sum usque in consummationem saeculi,* Mt. ultimo [28, 20]. Ita Báñez ubi supra paragrapho «ad secundum argumentum» in fine (96), et Rodericus Dosma Delgado lib. 3 de auctoritate Sacrae Scripturae iam ad finem (97). In sententia igitur horum auctorum, si ille, qui a parte rei non esset verus Pontifex, aliquid definiret, illud quidem esset de fide; non tam ex vi huius definitionis, quam ex vi susceptionis Ecclesiae, quae ex assistentia Spiritus Sancti non potest errare in credendo.

[84] *Quarto addere possumus,* assistentiam Spiritus Sancti in definiendo non solum esse promissam a Christo ei, qui vere et realiter est Petri successor, sed etiam illi, qui ab universa Ecclesia indubitanter suscipitur ut talis. Nam eo ipso quod promisit Ecclesiae suae assistentiam ne errasset in credendo, promisit etiam ei, quem tota Ecclesia suscipit ut indubitatum caput, assistenti[F. 24v]am, ut non erraret in definiendo aut proponendo id quod tota Ecclesia tenetur credere. Itaque admisso illo casu, iste, quem Ecclesia suscipit indubitanter ut Pontificem, etiamsi a parte rei non esset caput, esset tamen instrumentum Spiritus Sancti ad proponendum res fidei et morum toti Ecclesiae.

[85] *Sed contra secundo,* quia de fide est hanc Scripturam esse canonicam v. gr. Pentateuchum, librum Evangeliorum etc. Similiter de fide est, hanc Ecclesiam visibilem, quae nunc militat sub Romano Pontifice Clemente VIII, esse veram Ecclesiam. Ergo de fide est hunc Pontificem esse verum eius caput. Confirmatur, quia sicut credimus ea esse de fide, quae continentur in Scriptura vel quae proponuntur ab ista Ecclesia, ita credimus ea quae definiuntur ab isto Pontifice. Ergo aeque est de fide istum esse verum Papam, sicut quod ista sit vera Ecclesia. *Ad primum istorum respondetur* negando consequentiam. Quia hanc Scripturam esse canonicam, non pendet ex electione aut voluntate humana; sed revelatum est per Ecclesiam definientem, qui libri sint canonici. Similiter est de fide, hanc esse veram Ecclesiam; quia revelatum est saltem per traditionem

(96) D. BÁÑEZ, *In* 2.2 q. 1 a. 10 (Duaci 1615) p. 62 col. 2.

(97) R. DOSMA DELGADO, *De auctoritate S. Scripturae ac ea introductorum* lib. 3 cp. 14 (Pinciae 1594).

a Christo per Apostolos ad nos usque derivatam. Similiter est de fide, quod Romanus Pontifex sit caput Ecclesiae ex simili traditione et definitionibus; immo et Scripturae testimoniis colligitur. Tamen, quod haec persona particularis, v. gr. Clemens VIII, sit verus Papa, non est de fide; quia non est revelatum nec per Scripturam, nec per traditionem, nec per definitionem etc., ut satis probatum est. Nec vero unitas numerica huius Ecclesiae pendet ex eo quod ista particularis persona sit verum eius caput, ut patet quia eadem numero praecessit sub aliis Pontificibus et perseverabit sub futuris; et eadem etiam est quando sedes vacat. Ne[F. 25]dum (g) unitas eius pendebit ex eo, quod sit de fide istum esse verum Papam. *Ad confirmationem* similiter negatur consequentia. Nam ratio formalis, propter quam credimus fide divina quae in Scriptura continentur aut quae ab Ecclesia definiuntur, non est quia credamus fide divina ipsam Scripturam esse canonicam aut hanc esse veram Ecclesiam, sed quia illa sunt revelata a Deo. Sic enim, demus quod aliquis, invincibiliter ignorans quod Evangelium Ioannis esset Scriptura canonica, crederet sola fide humana illam esse canonicam. Adhuc posset fide divina credere Verbum suscepisse carnem. Immo ille, qui credit fide divina evangelium Ioannis esse Scripturam canonicam, quando tamen nullo pacto meminit huius, habere potest assensum fidei eius, quod in tali evangelio continetur. Non ergo ratio, quare credit fide divina Verbum factum esse carnem, est quia credat fide divina esse canonicam illam Scripturam, in qua haec veritas continetur. Similiter iudico de his quae proponit Ecclesia. Et idem dicendum est in nostro casu. Quod, licet aliquis non credat fide divina Clementem esse verum Papam, potest et debet credere fide divina ea quae definita sunt ab ipso. Verum est hoc esse discriminis: quod quicumque fidelis potest et debet credere fide divina hanc esse canonicam Scripturam et hanc esse veram Ecclesiam, quia de hoc est specialis articulus fidei, non vero est specialis articulus quod Clemens vel Urbanus sit verus Papa, nec id hactenus revelatum vel definitum est ut de fide credendum; et ita non tenemur id credere fide divina.

[89] *Ad ultimum* (98) solutio sumitur ex dictis supra, ratiocinatione tertia pro statuta conclusione (99). Concedenda enim est prima collectio, quia, ut ibidem dixi, aequalis ratio est de hoc singulari Papa et de quo-

(g) M *necdum*

(98) Véase supra n. [9].
(99) Véase supra n. [46].

cumque alio praeter Petrum. Neganda tamen est secunda consequentia. Sicut enim perpetua institutio sacramentorum verificatur et impletur ex eo quod in re [F. 25v] perficiantur vera sacramenta, quamvis de singulis in particulari vel de aliquo non constet fide divina esse verum sacramentum, ita pariter impletur promissio Christi et perpetua institutio primatus ex eo quod in re sint veri Pontifices, quamvis de singulis in particulari hoc non constet fide divina. Ad confirmationem patet solutio ex dictis in responsione ad 3, nec enim in illa est aliqua specialis difficultas.

Quaestio secunda

Utrum Concilium Generale, legitime congregatum et procedens, sit infallibilis auctoritatis in rebus fidei et morum decernendis ante confirmationem Romani Pontificis (a).

[1] [Status quaestionis.] Ut in proposita quaestione *controversiae status* aperiatur, nonnulla praemittenda sunt, in quibus omnes conveniunt, ut, illis statutis, ad id, quod dubium relinquatur, examinandum procedamus.

[2] *In primis* nomine Concilii Generalis [F. 26] intelligimus illud in proposito, quod ex omnibus christiani orbis episcopis coactum est, vel saltem ad quod omnes illi sunt legitime sufficienterque vocati, nec excludimus reliquos, qui, ex privilegio Sedis Apostolicae, ad Concilia generalia convenire solent, in illisque sententiam dicere. Quamvis enim generale vel universale Concilium dici posset illud, cui praeest Romanus Pontifex, cum ipse sit caput universalis Ecclesiae atque adeo tota universalis Ecclesia in suo capite ibi censetur adesse, tamen in quaestione proposita per Concilium generale illud solum accipimus, quod ex omnibus fidelibus episcopis conflatum est, vel ad quod omnes sunt sufficienter vocati.

[3] *Secundo* certum est et inter catholicos constantissimum, nullum esse posse Concilium generale cui tale nomen vere competat, nisi sit auctoritate Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit, convocatum. Quod satis patet in Concilio, seu potius conciliabulo Ariminensi. Ratio est aperta: quia Romanus Pontifex est caput universalis Ecclesiae, cui eiusdem Ecclesiae regimen et instructio commissa est. Nequit ergo Ecclesia ad

---

(a) Gr añade al margen: *Es obra del Dr. Villegas, canónigo de Toledo.*

aliquid decernendum legitime convenire, nisi eiusdem Romani Pontificis, pro tempore exsistentis, mandato et auctoritate. Quod probatur d. 17 per totam (1) et pluribus aliis decretis Romanorum Pontificum et Conciliorum quae infra referenda sunt. De hoc late Turrecremata lib. 3 Summae cap. 6 (2). Non loquor in peculiari casu schismatis, quod alias extingui non posset, vel manifestae et incorregibilis haeresis Romani Pontificis (dato quod posset in illam incidere, de quo sub iudice lis est). Quia in praedictis casibus posset Concilium congregari ad haec damna pellenda dumtaxat; ad quem effectum censerentur legitima, etiamsi Romani Pontificis auctoritate congregata non essent. Sermo ergo praesens est extra illos casus. Nam in reliquis Concilium nequit esse legitimum, nisi auctoritate Romani Pontificis convocatum.

[4] *Tertio,* certum est, ut talis conventus generalis Concilii nomine gaudeat, insuper requiri ut in eo saltem praesint legati [F. 26v] Romani (b) Pontificis et Concilium sub eius obaedientia et instructione procedat (c). Alias in his, in quibus ab obaedientia deflectat vel praetergrediatur instructionem acceptam, nullam auctoritatem generalis Concilii habere poterit. Ut videre est in Concilio Calcedonensi, in decreto quo praetulit Constantinopolitanum Antistitem reliquis Patriarchis; quod, quia statutum fuit praeter instructionem B. Leonis Magni, tunc Romani Pontificis, et repugnantibus eius legatis, nullius fuit roboris, et irritum et nullum ab eodem Leone declaratum est (3).

[5] Iam *quarto,* certum est de fide, decreta fidei et morum, a Concilio generali edita et a Romano Pontifice confirmata, esse divinae et infallibilis auctoritatis. In quo omnes catholici conveniunt, et ex duplici capite fit manifestum. Primum quia Romanus Pontifex, utpote caput universalis Ecclesiae, est infallibilis auctoritatis in rebus fidei morumque decernendis, ut modo suppono; ergo quidquid decernit vel decretum a Concilio confirmat (quod in proposito idem prorsus est), certa fide tenendum est. Quare in hoc paria sunt Concilia omnia, sive nationalia, sive provincialia, sive dioecesana, cum generalibus; quodcumque enim illorum confirmatum sit a Romano Pontifice, eandem habet auctoritatem

(b) M repite *Romani*
(c) M *procedant*

(1) CIC Decr. 1, 17 (RICHTER 1, 45ss).
(2) I. DE TORQUEMADA O. P., *Summa de Ecclesia* lib. 3 cp. 6.
(3) S. LEO MAGNUS, *Epistola* 104 ad Marcianum Augustum cp. 3s: ML 54, 993-997; edic. SCHWARTZ, ACO 2, 4, 56.

et infallibilitatem quam ipsius Pontificis decretum. Secundum caput, unde praemissa veritas probatur, est, quia decreta Concilii generalis, confirmata a Romano Pontifice, sunt decreta universalis Ecclesiae, corporis namque cum suo capite; sed Ecclesia in rebus fidei et morum errare non potest, quippe est *columna et firmamentum veritatis* (1 Tim 3 [15]); ergo in illis decretis errare non potest; ergo illa sunt divinae et infallibilis veritatis.

[6] *Difficultas igitur propositae quaestionis eo reducitur:* an Concilium generale, legitime coactum sub obaedientia Romani Pontificis et eius instructione procedens, praesentibus et praesidentibus eius legatis, sit infallibilis auctoritatis in controversiis fdei et morum dirimendis, non expectata Romani Pontificis confirmatione.

[7] Sud rursus, quia instructio Romani Pontificis multi[F. 27]plex esse potest, et secundum diversas eius formas diversimode philosophandum est, oportet rem hanc minutius prosequi et enodari. *Contingit aliquando* instructionem Romani Pontificis esse decretum de veritate credenda. Patet, in Concilio Calcedonensi. Instructio Leonis Magni (4) fuit decretum de veritate et impermixtione utriusque naturae humanae et divinae in Christo. Et in sexta Synodo instructio Agathonis Papae (5) fuit decretum de veritate duplicis operationis divinae et humanae in Christo. In quo casu nemini dubium est, quin definitio Concilii tam Calcedonensis quam illius Constantinopolitani III sit infallibilis, utpote decreto Romani Pontificis stabilita, et quia erat consensio totius Ecclesiae catholicae. Immo, si rem exactius consideremus, antequam accederet definitio et sententia utriusque Concilii, iam res erat de fide ex decreto Romani Pontificis. Quare, si proprius loquamur, illa Concilia non tam definierunt, quam definitionem Romani Pontificis subscripserunt, et illam ut infallibilem susceperunt et amplexarunt. Quoad infallibilitatem ergo sententiae definitionisque Concilii, nihil refert quod decretum Romani Pontificis praecedat per modum instructionis, vel sequatur per modum confirmationis.

[8] *Secundo contingit,* quod instructio Romani Pontificis sit ut solum res possit disputari in Concilio, non autem formari decretum inconsulto Romano Pontifici. In quo casu, si Concilium nihilominus definiret forma-

---

(4) S. LEO MAGNUS, *Epistola* 88 ad Paschasium: ML 54, 927-929; edic. SILVA-TAROUCCA, *S. Leonis M. Epistulae contra Eutychis. haeresim* pars 1.ª epist. 30 (Textus et Documenta, ser. theol. 15 [Romae 1934] 74-76).

(5) HARDUIN, *Acta Conciliorum* 3, 1074ss.

retque decretum illud, non esset infallibile. Quod sequitur ex dictis supra, suppositione tertia (6); quia iam praetergrediebatur metas sibi praefixas et procedebat praeter sui capitis et principis instructionem. Et idem iudicium est, si Papa in instructione nihil definiret, sed suam tantum ut particularis Doctor sententiam proponeret, praeciperetque ut, si in illam iret Concilium, decretum formaretur; sin minus, se inconsulto formari non posset. Quia in omnibus standum est instructioni (d) Pontificis, et Concilium praeter illam agens, saltem in ea parte, Concilii nomen non meretur.

[9] *Tertio contingere potest*, quod instructio Pontificis [F. 27v] ea tantum sit: quod una vel plures quaestiones fidei et morum discutiantur, et in illis iudicet decernatque Concilium, quod tenendum sit. In quo casu, nihil Papa definit; sed liberum relinquit Synodo iudicium ferre in illis controversiis, quas discutiendas derimendasque proponit; ut in pluribus decretis Tridentini evenisse testatum est. Tunc ergo urget quaestio proposita: an citra confirmationem Romani Pontificis, definitio Concilii sit infallibilis auctoritatis. Quod idem est ac inquirere, utrum Concilium generale, legitime congregatum et procedens, habeat assistentiam Spiritus Sancti ad sententiam dicendam in rebus fidei et morum. Nam infallibilis auctoritas aliunde in eius decretis esse non potest, quam ab assistentia Spiritus Sancti idem Concilium dirigentis in iis, quae decernit.

[10] Peculiariter hoc inquiritur de Concilio generali. Nam de reliquis omnibus speciebus Conciliorum citra controversiam est, quod per se ipsa et sine confirmatione Romani Pontificis non sunt infallibilis auctoritatis in his quae determinant, ut modo suppono. Et ratio breviter est, quia dumtaxat in rebus fidei et morum potest esse infallibilitas; sed determinatio in rebus fidei et morum praeter Romanum Pontificem ad solam universalem Ecclesiam pertinere potest, et haec in solo Concilio generali cogitur; ergo solius Concilii generalis decreta possunt esse infallibilia, non vero nationalis, provincialis aut dioecesani. Quod vero ad solam universalem Ecclesiam pertineat de fide et moribus iudicare, inde constat, quia fidei integritas et morum puritas universam concernit Ecclesiam; ergo illi soli liberum erit de iis iudicare. Secundo promisit quidem Deus Ecclesiam suam errare non posse, quam perhibuit esse columnam et

(d) M *institutioni*

(6) Véase supra n. [4].

firmamentum veritatis; nihil simile promisit alicui nationi vel provinciae vel dioecesi; ergo nullum Concilium praeter generale potest esse infallibile in iudicando. Tertio denique constat saepe errasse Concilia nationalia, provincialia vel dioecesana. Solum producam in exemplum illud nationale octoginta [F. 28] episcoporum sub Cypriano in quo rebaptizatio haereticorum decreta fuit (7). Ergo signum manifestum est illa non esse infallibilia in iudicando.

[11] *Itaque status controversiae is est:* an Concilium generale legitime conveniens procedensque sub obaedientia et instructione Romani Pontificis, ante eius decretum et confirmationem sit infallibilis auctoritatis vel (quod idem est) habeat assistentiam Spiritus Sancti in rebus fidei et morum decernendis.

[12] [SENTENTIAE.] In qua quaestione *variae sunt auctorum sententiae. Prima* est Cardinalis Turrecrematae lib. 3 Summae a cap. 28 et praesertim 32 ad finem (8); ubi non solum ad convocationem vel instructionem, sed etiam ad iudicium et definitionem Concilio contendit esse necessariam auctoritatem et iudicium Romani Pontificis; adeo ut nisi ille iudicet, Concilii generalis iudicium ratum esse non possit. Sic etiam Caietanus tomo 1 Opusculorum tractatu 1 cap. 9 et 11, et tractatu 2, 2 p. Apologiae, cap. 20 et 21, et 2.2 q. 1 a. 10 (9); Valentia lib. 8 Analysis fidei catholicae cap. 4 (10) et alii. Et Turrecremata pro se refert Aymarum, Archiepiscopum Remensem, in libro de Synodis cap. 18. Ab his auctoribus, dum Romani Pontificis iudicium postulatur ad decreta Concilii roboranda, non placitum illius ut particularis Doctoris exigitur, sed definitio et determinatio eiusdem ut iudex et caput universalis Ecclesiae.

[13] Et videtur esse sententia D. Thomae 2.2 q. 1 a. 10 in corpore (11) illis verbis: «*ad illius ergo auctoritatem pertinet editio symboli, ad cuius auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quae sunt fidei ut ab omnibus inconcussa fide* (*e*) *teneantur; hoc autem pertinet ad auctori-*

(e) M *fidei*

(7) S. CYPRIANUS, *Epistola* 64: ML 3, 1047ss; CSEL 3, 717.
(8) I. DE TORQUEMADA O. P., *Summa de Ecclesia* lib. 3 cp. 28ss.
(9) T. DE VIO CAIETANUS, *De auctoritate Papae et Concilii* cp. 9 et 11 (*Opuscula omnia*, Lugduni 1585) t. 1 p. 13-16; *De comparata auctoritate Papae et Concilii Apologia* pars 2.ª cp. 20s (*Opuscula omnia*) t. 1 tr. 2 p. 43s; *In* 2.2 q. 1 a. 10 (S. THOMAE AQ. *Opera*, edic. Leonina, 8, 25).
(10) G. DE VALENTIA, *Analysis fidei catholicae* lib. 8 cp. 4 (Lutetiae Parisiorum 1610) p. 92.
(11) S. THOMAE AQUINATIS *Opera* (edic. Leonina) 8, 24.

tatem Summi Pontificis». Unde tandem concludit: «*et ideo ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio symboli, sicut et alia omnia quae pertinent ad totam Ecclesiam; ut congregare synodum generalem, et alia huiusmodi*». Verba videntur aperta. Et notanda est illa exclusiva *ad solam*. Et idem D. Thomas in opusculo contra impugnantes religionem cap. 4 (12) [F. 28v] «*sancti* (f), inquit, *Patres, in Conciliis congregati, nihil statuere possunt, nisi auctoritate Romani Pontificis interveniente, sine qua etiam nec Concilium congregari potest*».

[14] Quae sententia multis probari potest. *Primo* ex Iulio I secunda decretali, quae est rescriptum contra Orientales pro Athanasio et aliis ubi damnans quoddam Concilium Antiochenum a persecutoribus Athanasii celebratum, sic scripsit: «*quoniam neque ab orthodoxis episcopis hoc Concilium actum est, nec Romanae Ecclesiae legatio interfuit, canonibus praecipientibus sine eius auctoritate Concilia fieri non debere; nec illum ratum est, aut erit unquam, Concilium, quod non fultum fuerit eius auctoritate*». Refertur cap. *regula* 17 d. (13). Ecce, postquam docuerat sine auctoritate apostolicae Sedis cogi non posse, deinde subiecit *rata* esse non posse nisi eiusdem Sedis auctoritate fulciantur. Quod idem prorsus est ac si diceret *confirmentur*. Nam praeter convocationem et instructionem, nihil aliud desiderari potest, nisi confirmatio; ergo sine illa Concilii generalis iudicium ratum non est, aut infallibile. Eadem sententia est, et similia verba, Damasi 3 decretali, quae est rescriptum ad Stephanum et tria Concilia Africana (14). Huc etiam pertinet illud Paschalis Papae (refertur cap. *significasti* de electione) (15): «*cum omnia Concilia per Romanae Ecclesiae auctoritatem* (g) *facta sint et robur acceperint*» et Gelasius Papa in epistola ad episcopos Dardaniae sic ait: «*quae* (scilicet Romana Sedes) *et unamquamque synodum sua auctoritate confirmat*». Refertur 25 q. 1 cap. *confidimus* (16). Et 96 d. cap. *bene quidem* (17), sic legitur: «*quanto magis, quod in Apostolica Sede nunc exsistente praesule, qui merito B. Petri Apostoli per universum orbem primatum obtinens sacer-*

(f) M *sicut*
(g) M *auctoritate*

(12) S. THOMAS, *Contra impugnantes Dei cultum et religionem* lib. 2 cp. 23 (Parisiis 1876) t. 29 p. 33.
(13) CIC Decr. I, 17, 2 (RICHTER 1, 45).
(14) *Collectio Decretalium:* ML 130, 661.
(15) CIC Decr. Greg. I, 6, 4 (RICHTER 2, 48).
(16) CIC Decr. II, 25, 1, 1 (RICHTER 1, 872).
(17) CIC Decr. I, 96, 1 (RICHTER 1, 288).

dotii statutis synodalibus consuevit tribuere firmitatem». Es his omnibus reliquum esse videtur, Conciliorum generalium decreta, sine Romani Pontificis confirmatione rata esse non posse.

[15] [F. 29] *Secundo,* Io 21 [17] soli Petro dictum est: *pasce oves meas.* Ex quo sic deducitur: soli Petro et eius successoribus commissum est et impositum pascere Dominicum gregem, universos inquam christifideles; sed credenda agendaque praescribere, est pascere dominicum gregem; ergo hoc soli Petro et eius successoribus Romanis Pontificibus datum est; ergo illius solius sedis est in rebus fidei et morum infallibiliter iudicare.

[16] *Tertio,* Romanus Pontifex est caput Ecclesiae et Princeps eius; sed capitis est dirigere et statuere, non corporis, et respublica sine principe legem condere aut aliquid sancire non potest; ergo neque tota Ecclesia sine Romano Pontifice.

[17] *Quarto,* illius solius est infallibiliter iudicare, cuius est suprema potestas; sed haec residet in solo Romano Pontifice; ergo ille solus potest infallibiliter iudicare. Maior probatur primo, quia infallibilis definitio omnes obligat et ab omnibus suscipienda est; ergo a sola suprema Ecclesiae potestate proferri potest. Secundo, quia illa definitio infallibilis, eo quod talis, ipsum etiam Romanum Pontificem obligaret; at absurdum est quod inferior possit superiorem obligare (h) et in aliquo sibi subicere; ergo solus superior potest infallibiliter definire. Et haec erat maior. Minor est notissima ex primatu Romani Pontificis, et breviter probatur ab inconvenienti: quia alias essent in Ecclesia duae supremae potestates non subordinatae, quae est deterior regiminis forma. Sequela patet, quia tam in Romano Pontifice, quam in Concilio generali, esset suprema potestas, quippe infallibiliter definiendi in rebus fidei et morum; et non subordinarentur, siquidem ponitur Concilium infallibile in iudicando citra confirmationem Romani Pontificis.

[18] *Quinto,* omnes maiores causae ad Sedem Apostolicam referendae sunt, ut ab illa determinentur; sed potissimae causae sunt fidei et morum; ergo istae per Sedem Apostolicam sunt determinandae. Maior est expresse definita a pluribus Romanis Pontificibus. [F. 29v] Nam *Zephyrinus* prima decretali sic statuit (18): «*iudicia enim episcoporum,*

(h) M *obligaret*

(18) *Collectio Decretalium:* ML 130, 126.

maioresque Ecclesiae causae, a Sede Apostolica, et non ab alia, sicut Apostoli et sancti successores eorum statuerunt, cum aliis episcopis sunt determinandae; quia licet in alios transferantur episcopos, Beato tamen Apostolo Petro dictum est: quaecumque ligaveris etc.; *et reliqua privilegia, quae soli (i) huic Sedi concessa sunt».*

[19] *Marcellus* I prima decretali (19): «*ad quam* (scilicet Romanam Sedem) *cuncta maiora ecclesiastica negotia, divina disponente gratia, iussa sunt referri, ut ab ea regulariter disponantur, a qua sumpsere principia*»; et infra: «*episcoporum iudicia et maiorum causarum negotia, sive cuncta dubia, Apostolicae Sedis auctoritatem sunt agenda et finienda*».

[20] *Melchiades* unica decretali (20): «*sed semper maiores causae, sicut sunt episcoporum et potiorum curae negotiorum, ad unam B. Petri Principis Apostolorum Sedem confluerent, ut inde suscipiant finem negotiorum unde susceperunt initium institutionum, ne quando a suo discreparent capite*».

[21] *Iulius I* prima decretali (21): «*ipsi vero primae Sedis Ecclesiae convocandarum generalium synodorum iura, et iudicia episcoporum, singulari privilegio evangelicis et apostolicis atque canonicis concessa sunt institutis; quia semper maiores causae ad Sedem Apostolicam multis auctoritatibus referri praeceptae sunt*»; et infra: «*non oportere praeter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, nec episcopum damnari*». Quod etiam in rescripto ad Orientales astruit ex Synodo Nicaena (22). Et in decretali prius citata, adhuc infra: «*et ad eam, quasi ad matrem et apicem, omnes maiores Ecclesiae causae et iudicia episcoporum requirant, eiusque iusta sententia* (vel ut alii legunt *iuxta eius sententiam*) *terminum sumant*» (23).

[22] *Innocentius I* epistola 26 quae est rescriptum ad Concilium Milevitanum, refertur cap. *quoties* 24 q. 1 (24): [F. 30] «*quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres et episcopos nostros non nisi Petrum, id est sui nominis et honoris auctorem referre debere, veluti nunc*

(i) M *sola*

(19) *Collectio Decretalium:* ML 130, 218s.
(20) *Collectio Decretalium:* ML 130, 239.
(21) *Collectio Decretalium:* ML 130, 620.
(22) *Collectio Decretalium:* ML 130, 626.
(23) *Collectio Decretalium:* ML 130, 620.
(24) CIC Decr. II, 24, 1, 12 (RICHTER 1, 839).

retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit omnibus ecclesiis in communi prodesse». Restat ergo liquidum ex his testimoniis, maiores Ecclesiae causas ad Sedem Apostolicam esse referendas, ut ab illa definiantur et terminentur. Et haec erat maior. Minor est manifestissima, nempe quod potissimae causae sint fidei et morum. Sequitur ergo conclusio, quod istae sint per Sedem Apostolicam terminandae.

[23] *Sexto principaliter probatur,* quia Concilia generalia semper postularunt confirmationem Romani Pontificis, quando per se ipsum non praefuit. Frustra autem postularetur, nisi ad infallibilitatem decretorum esset omnino necessaria. Sentiunt ergo Concilia infallibilitatem suorum decretorum ex sola confirmatione Pontificis dependere.

[24] *Ultimo tandem probatur,* et ut putant auctores istius sententiae validissime, quia de facto errarunt Concilia generalia; ergo non sunt infallibilia in iudicando. Consequentia est necessaria, scilicet ab esse ad posse. Antecedens probatur: et in Concilio Ephesino II, quod fuit auctoritate Leonis Magni congregatum et legati eiusdem Pontificis interfuerunt, et tamen ivit in errorem Dioscori et Euthychetis; et in Concilio Basileensi, quod sessione secunda decrevit se esse supra Papam, et tandem processit usque ad depositionem Eugenii IV legitime venerabilisque Pontificis, quem tamen integra occidentalis et orientalis Ecclesia suscepit nihilominus et adoravit.

[25] *Secunda sententia* est asserentium, quod, si Concilium sit legitime congregatum et procedat sub Pontificis obaedientia et instructione, tametsi aliqua eius [F. 30v] pars, etiam maior, possit errare, verumtamen quandocumque conveniunt omnes prorsus Patres Concilii, eorum definitio est infallibilis in rebus fidei et morum etiam ante confirmationem Summi Pontificis. Sic Cano lib. 5 de locis cap. 5 ab 1 et 2 (25), Báñez 2.2 q. 1 a. 10 in prioribus commentariis dub. 4 conclusione 1 (26). Nec displicet Valentiae lib. 8 Analysis fidei catholicae cap. 4 paragrapho «respondeo», dum est in secunda solutione (27), quam affert ex Cano nunc citato, neque illam reicit, tametsi aliam magis probaverit. Fundamentum huius sententiae est, quia tota Ecclesia in omnibus Concilii Patribus legitime et sufficienter repraesentatur; ergo habet Concilium eadem privilegia, quae tota Ecclesia; sed tota Ecclesia, adhuc praescindendo Summum Pontificem, in discer-

(25) M. Cano, *De locis theologicis* lib. 5 cp. 5 t. 1 p. 342s.
(26) D. Báñez, *In* 2.2 q. 1 a. 10 dub. 4 concl. 1
(27) G. de Valentia, *Analysis fidei catholicae* lib. 8 cp. 7 p. 115.

nenda fide et moribus errare non potest, quamvis aliqua pars eius errare posset; ergo Patres Concilii generalis, licet aliqua eorum pars et forte maior, errare possit, omnes tamen simul errare non possunt, adhuc ante confirmationem Romani Pontificis. Maior huius discursus infra probanda est; ideo hic supponitur; et similiter probatio primae consequentiae. Minor subsumpta, videlicet quod tota Ecclesia, adhuc praescindendo Romanum Pontificem, errare non possit, est de fide certa. Et patet, tum quando Sedes vacat et nihilominus habet Ecclesia illam infallibilitatem, tum etiam quia Papa ut particularis persona errare potest, et, dato quod erraret, nihilominus tota Ecclesia errare non posset; ergo manifestum relinquitur quod tota Ecclesia, secluso etiam Summo Pontifice, errare non potest.

[26] *Tertia opino* est asserentium, quod, quando Pontifex protulit suam sententiam de quaestione, quae discutitur, et maior pars Concilii convenit cum illa, talis definitio est de fide absque alia nova confirmatione. Nec vero postulat haec sententia definitionem Papae, qua determinet ut caput Ecclesiae et proponat aliquid fidelibus ut credendum, sed iudicium illius [F. 31] ut est doctor quidam particularis, cum quo si conveniat maior pars Concilii, dicunt illam definitionem esse infallibilem. Ita Cardinalis Bellarminus lib. 2 de Conciliis et Ecclesia cap. 11 (28). Nam cum paragrapho «secundo nota» varios modos proponeret, quibus Patres et legati in Concilio se habere possunt, sic ait: «*quarto, consentientibus omnibus cum legatis, habentibus et sequentibus Papae instructionem*» et infra paragrapho «de 4.° modo» sic ait: «*de quarto modo vix dubium esse potest; videtur enim esse certum, tale Concilium non posse errare. Primum enim, in tali Concilio invenitur expressus consensus capitis et membrorum, ac proinde totius Ecclesiae; quae sine dubio errare non potest. Neque obest, quod instructio illa, a Pontifice data, non videatur definitiva sententia Apostolicae Sedis. Nam quando Concilium consentit cum Pontificis sententia, formaturque decretum a legatis nomine Pontificis, tunc incipit esse sententia definitiva et ultima, non solum Concilii, sed etiam Pontificis; nec potest Pontifex eam retractare, nam certo intelligit sententiam suam fuisse a Deo, quando a Concilio approbatur*». Ad quod citat in sequentibus quoddam Magni Leonis testimonium ex epistola 63 ad Theodoretum. Ne quis vero existimet, quod, quia quartum modum proponens dixit *consentientibus omnibus cum legatis*, omnium

(28) S. ROBERTUS BELLARMINUS, *De Conciliis et Ecclesia* lib. 2 cp. 11 n. 3, 13 et 9.

prorsus qui adsunt in Concilio consensum expostulet, atque adeo quod cum praecedenti coincidat, advertat quod in eodem capite paragrapho «at obiciunt», explicans, an ut dicatur decretum Concilii sit necessarius unanimis consensus omnium, sic scripsit: «*est autem verum decretum Concilii, quod fit a maiori parte; alioqui nullum esset legitimum Concilii decretum, cum semper aliqui* (j) *dissentiant; ergo Concilium absolute dicitur errare, quando errat maior pars, quae format decretum*». Unde planum relinquitur, quod, quando antea dixerat *omnibus consentientibus*, intelligit omnibus, qui sufficiunt ad decretum proferendum, [F. 31v] consentiente videlicet maiori parte.

[27] Eamdem sententiam, quantum ego conicio, approbat Gregorius de Valentia, ubi supra, paragrapho «ad confirmationem», cuius haec sunt verba (29): «*nam si legati sequuntur instructionem et quasi conceptam iam ante definitionem Pontificis, quam ab ipso prius acceperint, tunc sane eo ipso quod Concilium habeat auctoritatem legatorum, habet etiam ipsius Pontificis; ac proinde errare nequit. Si autem talem a Pontifice instructionem nondum illi acceperunt, aut eam non sequuntur, errare Concilium, etiam illis consentientibus, potest*». Quae verba, si attentius expendantur, satis produnt auctorem istum non exposcere veram absolutamque definitionem Pontificis, quae rem faciat de fide, ut inde decretum Concilii suscipiat infallibilitatem. Quia dixit, *quasi conceptam iam ante definitionem* Concepta vero definitio id profecto sonat (k), Pontifici in animo esse definire, et hunc animum exposuisse legatis, de facto tamen nondum definisse; sed animus definiendi non facit rem de fide; ergo. Praeterea dixit *quasi conceptam definitionem*, et particula *quasi* est diminutiva, et in proposito idem videtur prae se ferre ac si diceret Papam esse inclinatum ad definiendum et id prodidisse legatis; et talis inclinatio, quod omnibus indubitatum est, non sufficit facere rem de fide. Itaque hic auctor videtur sentire, quod, si Concilium conveniat cum sententia Pontificis, licet non definitiva, decretum Concilii erit infallibile. Eiusdem placiti videtur fuisse Alphonsus de Castro lib. 4 Adversus haereses, verbo «Concilium», illis verbis (30): «*quodsi omnes sic congregati unanimes et conformes, aut eorum maior pars, cum Summo Pontifice consentiat, illa erit certa sen-*

(j) M *alioqui*
(k) M *id profecto sonat, quod Pontifici*

(29) G. DE VALENTIA, *Analysis fidei catholicae* lib. 8 cp. 7 p. 114.
(30) A. DE CASTRO, *Adversus haereses* lib. 4 (Venetiis 1546) p. 473.

tentia et pro infallibili Concilii generalis definitione tenenda». Quamvis de opinione huius auctoris dicendum erit infra (31).

[28] *Fundamentum* huius opinionis illud est, [F. 32] quod expressit Bellarminus verbis relatis. Quia in eo casu est consensus totius Ecclesiae, capitis et membrorum; sed tota Ecclesia in his quae sunt fidei et morum errare non potest; ergo nec Concilium generale in eo casu.

[29] Utraque posterior relata sententia admittit determinationem Concilii in rebus fidei et morum, in quibusdam casibus, esse infallibilem ante confirmationem vel definitionem Romani Pontificis.

[30] [SENTENTIA AUCTORIS.] *Nihilominus, Concilium generale legitime congregratum et procedens, in rebus fidei et morum decernendis, esse infallibilis auctoritatis, citra definitionem vel confirmationem Romani Pontificis, communem esse receptamque sententiam et ab omni prorsus nota liberam, Deo dante, ex variis capitibus ostendemus.*

[31] [PROBATUR 1.°] *Et primo ab auctoritate theologorum, qui id docuerunt.* Singulorum verba breviter referam, ut uniuscuiusque sensus clarior fiat. Placuit tamen illos in tres classe dividere.

[31] Prima sit illorum qui hanc nostram sententiam aperte testati sunt.

1. *Abulensis* 2 p. Defensorii cap. 36, 37 et 38 (32) satis docuit hanc sententiam; sed illam planissime asseruit cap. 68 ad finem his verbis: «*et ob hoc recte sacrum Concilium est in fide magister omnium catholicorum et etiam Papae et declarat ei quid tenere debeat et illi obligantur sequi eius definitionem.*»

[32] 2. *Cardinalis Nicolaus de Cusa* in Concordia catholica lib. 2 cap. 8 ad finem (33), postquam multa ad propositum praemisit, sic ait: «*ex qua re sequitur, iuxta subscriptiones praetactas, vigorem statutorum canonum in Concilio non ex Papa nec ex capite Concilii, sed ex unico concordanti sensu vigorem habere; talia enim statuta catholicae Ecclesiae communi consensu edita, Nicaena Synodus redeuntes de haeresi noluit profiteri debere*». Et in fine capitis 13 sic loquitur: «*et dum hanc partem*

(31) Véase infra n. [39].

(32) A. TOSTADO, *Defensorium trium conclusionum* pars 2.ª cp. 68 (*Opera*, Venetiis 1728) t. 25 p. 138.

(33) N. DE CUSA, *De Concordantia catholica* lib. 2 cp. 8 et 13.

defendimus, quod Papa non est universalis episcopus, sed super alios primus, et sic sacrorum Conciliorum non in [F. 32v] *Papa, sed in communi consensu omnium, vigorem fundamus, tunc, quia veritatem defendimus et unicuique suum honorem reservamus, recte Papam honoramus*».

[33] 3. *Cardinalis Stanislaus Hosius*, vir doctrinae supellectile dives, qui pro orthodoxa fide non minus strenue quam gloriose dimicavit, et nomine Sedis Apostolicae praefuit Synodo oecumenicae Tridentinae, in proposita quaestione pro nobis certat. Nam in Confessione catholica cap. 24, quod est de Concilio oecumenico (34), sic ait: «*nec vero dubitare debet quispiam christianus, quin Concilium oecumenicum, legitime congregatum, Ecclesiam catholicam repraesentet; quamobrem, quod ab illo statuitur, ab Ecclesia sancta catholica statuitur*». Attende, *congregatum* dixit, non *confirmatum*. Et paulo infra: «*quoniam ergo Ecclesia Spiritu Sancto regitur, in his quae pertinent ad fidem, errare nullo modo potest*». Audis quod eamdem infallibilitatem tribuit generali Concilio legitime convenienti, quam toti Ecclesiae. Idem auctor lib. 2 de iudicibus rerum ecclesiasticarum non longe a principio (35) habet haec verba: «*in iis enim quae in facto sunt, fieri potest ut fallatur quandoque Concilium; ut autem erret in iis, quae sunt fidei, modo sit legitime congregatum, fieri non potest*». Expende exceptivam: *modo sit legitime congregatum*. Et subiungit: «*profer, Brenti, vel unum aliquod Concilium plenarium legitime congregatum, in quo prioribus plenariis Conciliis itidem legitime congregatis contrarium sit aliquid constitutum, in his quae ad fidem pertinent. Nullum certe proferre poteris. Nam si, quae Arimini vel Seleuciae vel Sirmii vel Antiochiae vel iterum Ephesi congregata sunt, protuleris, quandoquidem auctoritate Romani Pontificis vel congregata vel comprobata iuxta canones Concilii Nicaeni non sunt, legitime congregata Concilia dici non possunt, sed conciliabula potius et conventicula*». Disiunctive dixit *vel congregata vel comprobata*. Sufficit ergo alterum, ut sit legitimum Concilium generale, quod errare non possit. [F. 33] Et post medium libri (36) loquitur in haec verba: «*ceterum, sicut singula Ecclesiae membra, quamlibet excellenti fuerint et vitae sanctimonia et doctrina praedita, posse tamen errare credimus, sic ubi tota convenit Ecclesia, quoniam certam habere promissionem praesentiae Christi et gubernationis Spiritus*

(34) ST. HOSIUS, *Confessio catholicae fidei christianae* cp. 24 (*Opera*, Venetiis 1573) fol. 16.

(35) ST. HOSIUS, *Confutatio Prolegomenon Brentii* lib. 2 (*Opera*, Venetiis 1573) fol. 214v.

(36) ST. HOSIUS, *Ib.*, fol. 227v.

Sancti nemo pius ambigit, ibi nullum in fidei dogmatibus errorem admitti posse, certum et indubitatum habemus. Quamobrem illius decretis proximum a Scripturis canonicis locum tribuimus, et ab eodem ea Spiritu Sancto profecta credimus, quo fuerunt inspirati, qui Scripturae canonicae libros ediderunt». Cum ergo in sententia illius auctoris, eo quod Concilium sit legitime congregatum, censeatur tota Ecclesia, illius decreta prorsus sunt infallibilia et post canonicas Scripturas locum habent. Denique in Confessione catholica, cap. 24 citato, aperte docet hoc differre Concilia generalia a nationalibus, quod ista errare possunt, et non illa. Et sic exponit Gratianum d. 18 cap. 1 (37). Iam postulo: quando discrimen illud statuit inter nationalia et generalia, de quibus intelligitur? de confirmatis decreto Pontificis, vel non confirmatis legitime tamen convocatis? Si primum dicas, viro catholico doctissimo stolidum errorem impingis, quod Pontifex in confirmandis Conciliis nationalibus errare possit; si secundum dicas, habeo intentum; relinquitur namque Concilia generalia citra confirmationem errare non posse. Fusius mentem huius auctoris prosecutus sum, quia eius auctoritas non levis ponderis est apud theologos.

[34] 4. *Gerson,* antiquus theologus, Alphabeto 10 lit. A. B. (38), cum id asseruisset et probasset, ex decreto Concilii Constantiensis, infra afferendi, subdit: «*huic veritati fundatae supra petram Sacrae Scripturae quisquis a proposito detrahit, cadit in haeresim iam damnatam*». Alphabeto 17 lit. r: «*terminator,* inquit, *authenticarum et finalis doctrinarum fidem tangentium, est generale Concilium*». Quod in sequentibus probat. Et Alphabeto sequenti lit. A, negat tantam infallibilitatem Papae decretis. In quo erravit quidem, sed aperte ostendit in sua sententia Concilium non mutuare infallibilitatem [F. 33v] a definitione Pontificis. Saepe alibi hoc docuit ut videre est Alphabeto 14 lit. X. Y. Z et aliis in locis.

[35] 5. *Almaynus* de auctoritate Ecclesiae cap. 6 (39), postquam in prima propositione statuit Summum Pontificem immediate habere a Christo supremam potestatem, secundam subicit in haec verba: «*Secunda propositio: Christus immediate hanc potestatem contulit Ecclesiae, capiendo Ecclesiam pro collectione* (1) *omnium fidelium, sive pro collec-*

(1) M *collatione*

(37) St. Hosius, *Confessio catholicae fidei* cp. 24 fol. 18.
(38) I. Gerson, *Opera omnia,* 2.ª pars: *Compendium theologiae,* alphab. 10, 17s.
(39) I. Almain, *De auctoritate Ecclesiae, seu Sanctorum Conciliorum eam repraesentantium* cp. 6 (Paris 1527) fol. 142.

tione (ll) *omnium praelatorum maiorum et minorum, qui succedunt Apostolis et discipulis, sive pro Concilio generali Ecclesiam repraesentante*». Et quod potestas Concilii non dependeat a Papae confirmatione, non solum docet, sed probat ex cap. decrevit 88 d. Et in cap. 7 et 8 sequentibus de hoc late contra Caietanum. Et cap. 9 (40) statuit secundam propositionem sub his verbis: «*Concilium universale, in his quae fidei sunt, errare non potest; et sic ad ipsum ultima fidei decisio spectat*». Et infra versus finem capitis (41), cum dixisset Ecclesiam in fide et moribus errare non posse, subiungit: «*et privilegium Ecclesiae transit in Concilium immediate, non autem in Summum Pontificem*». Pro sua sententia citat Ockamum, Marsilium de Padua et Nicolaum de Cusa. Legatur etiam Almaynus in tractatu de potestate ecclesiastica cap. 16 et 17. Verum est quod ille erravit, ut Gerson, existimans Summum Pontificem non esse infallibilem in definiendo.

[36] 6. *Franciscus Victoria,* Relectione 4 de potestate Papae et Concilii (42) paragrapho «sed dato», sic scribit: «*tamen* [*an*] *ad Papam vel Concilium spectet interpretari et declarare tale ius, adhuc posset dubitari. Et item, an si Concilium aliquod determinet aliquid esse de fide, aut de iure divino, Papa possit hoc aliter declarare. Sed in hoc priori nulla est contentio. Et ideo breviter sit 2.ª propositio: Si Concilium declarat aliquid esse de fide, aut de iure divino, Papa in hoc nihil potest aliter declarare aut immutare, maxime si tale ius spectet ad fidem vel ad mores Ecclesiae universalis. Probatur. Quia in illis Concilium errare non potest etc.*» Quod in sequentibus late probat.

[37] 7. *Petrus Soto,* egregius doctor et indefessus haereticorum [F. 34] insectator, in Defensione catholica titulo «de uno praesente et certo iudicio ecclesiastico in dubiis fidei necessario et ratione eius», postquam cap. 73 docuerat Conciliorum auctoritatem a Christi promissionibus esse, cap. 74 (43) ait in haec verba: «*et id tantum in Conciliis considerandum, an legitimi praelati (sine quibus probatum est Ecclesiam esse non posse), legitima etiam auctoritate, eius scilicet qui superior est in omnibus, con-*

(ll) M. *collatione*

(40) I. ALMAIN, *Ib.*, cp. 10 fol. 152v.
(41) I. ALMAIN, *Ib.*, cp. 10 fol. 153v.
(42) F. DE VITORIA, *Relectio de potestate Papae et Concilii* n. 15 (edic. L. ALONSO GETINO O. P., *Relecciones teológicas del Maestro Fr. Francisco de Vitoria*, Madrid 1934) t. 2 p. 227.
(43) P. SOTO, *Defensio catholicae confessionis* cp. 73 (Antuerpiae 1557).

veniant ad implenda ministeria sua, et quod eis a Christo commissum est. Hoc, inquam, sat nobis esse debet, ut nullus privatus, nullus minoris auctoritatis possit de eorum sententia aut dubitare aut censere. Deo necesse est illam relinqui, quem non dubitamus ita affuturum praelatis ut per eos, tamquam per instrumenta et organa quaedam, doceat Ecclesiam suam veram fidem». Quid clarius? Semel et iterum apposuit exclusivam et tandem ait Deo soli relinquendam esse sententiam Concilii, qui eiusdem definitionibus assistit. Non dixit esse deferendam Papae, sed relinquendam soli Deo.

[38] 8. *Dominicus Soto* in 4 dist. 20 a. 4 ad 2 (44) sic ait: «*quoniam episcopi et qui legitimae sunt personae Concilii legitime congregati, praesidente Papa aut eius legatis, eo ipso quod sunt episcopi, per se habent, dum publica auctoritate congregantur, auctoritatem Ecclesiae, sicuti senatores in senatu; quare nulla alia indigent Papae auctoritate, nisi quod ipse sit praesens, tamquam caput*». Et infra: «*non ergo aliter Concilium habet auctoritatem a Summo Pontifice, quam quod episcopi creantur ab ipso*».

[39] 9. *Castro* lib. 1 De iusta haereticorum punitione cap. 6 (45), cum hanc nostram in terminis versaret quaestionem, an citra confirmationem Pontificis Concilia generalia essent infallibilia in definiendo, sic respondet: «*ego quidem firmissime teneo, nec aliud sentiendum censeo, talia Concilia, quae ex toto terrarum orbe auctoritate Papae congregata sunt, in quibus etsi Papa sit absens ipsius tamen legati praesentes sunt, esse dicenda generalia Concilia, et per consequens non posse in fide errare; non quidem* [F. 34v] *propterea quod legati Sedis Apostolicae sint infallibiles in definitionibus fidei, cum illi per se soli errare potuissent, sed quia totus ille coetus, in quo adsunt, errare non potest propter assistentiam Spiritus Sancti*». Et paulo supra sic protulit: «*si talia Concilia errare posse dicatur, consequens est ut etiam concedatur talia Concilia sine praesentia Papae non esse dicenda generalia, aut quod generalia Concilia auctoritate Papae congregata possunt errare; quorum utrumque est absurdum. Nam quod generalia Concilia auctoritate Summi Pontificis congregata errare possint, haeresis est multorum haereticorum ab omnibus catholicis damnata*». Et supra cap. 5 eamdem sententiam late probaverat.

---

(44) D. Soto, *In 4 Sententiarum* dist. 20 a. 4 (Salmanticae 1557) p. 944s.

(45) A. de Castro, *De iusta haereticorum punitione* lib. 1 cp. 6 (Salmanticae 1547) fol. 22.

Fateor, quod si hic auctor oppositum nostrae sententiae haeresis damnet, ut videtur, rigida nimis est et falsa censura; nec in hoc illi assentior.

[40] 10. *Corduba* lib. 4 Quaestionarii q. 1 prop. 9 (46): *Concilium generale*, inquit, *legitime congregatum, si faciat quod in se est, uti facere regulariter credendum est nisi oppositum constet manifeste, in rebus fidei et morum definiendis, etiam ad modicum tempus, errare non potest; et illius definitioni sub crimine et poena haeresis ab omnibus standum est*». Et statim: «*haec propositio negatur ab haereticis; sed et aliqui catholici simpliciter sine dictis limitationibus dicunt Concilium generale, etiam legitimum, si ibi non est Papa, posse errare*». Et refert nonnullos ita sentientes. Et postea: «*sed cum praedictorum limitationibus, propositio haec contra eos omnes oppositum sentientes, probatur quadrupliciter*». Quod in sequentibus late prosequitur. Et in eadem quaestione prop. 10 paragrapho «sed certe haec opinio», cum retulisset sententiam dicentium ideo Concilia generalia postulare definitionem Pontificis quia sine illa non habent infallibilitatem, subdit paragrapho citata: «*sed certe haec eorum opinio non videtur vera. Nam etiam Papa ipse stare tenetur praedicti Concilii definitioni in fide et moribus*». Et q. 2, eamdem opinionem iterum tractans, paragrapho propter hoc Caietanus, sic loquitur: «*sed certe haec eorum opinio* [F. 35] *falsa est, et dissona rationi et auctoritatibus sanctorum et Scripturae*». Et q. 4 opinione 3, quam probat et sequitur, in eodem placito perseverant.

[41] 11. *Gaspar Cardillus Villalpandaeus*, in Tridentina Synodo theologus Sanctissimi Pii IV et Vicarius episcopi Abulensis, libro contra protestationem confessionis Augustanae edito tempore eiusdem Concilii disp. 5 (47) probans Concilium Tridentinum fuisse generale, cui indubia fides sit adhibenda, assumit de ratione Concilii generalis nihil aliud esse quam ut a Papa indicatur, cogatur et celebretur, et quod causae fidei et morum in illo tractentur. Indeque inferens discrimen inter Concilia generalia ex una parte et reliquorum species Conciliorum ex alia, colligit in haec verba: «*hinc fit, ut decreta dioecesani Concilii, provincialis et metropolitani non habeant vim obligandi totum orbem christianum* (m); *quoniam nec Concilia, quae dixi, facultatem habent decernendi, quae*

(m) M añade tachado: *decent, nisi a Pontifice christiano*

(46) A. CORDUBA, *Quaestionarium theologicum* lib. 4 cp. 1 (Lovanii 1553) p. 239. 249. 259.

(47) G. CARDILLO DE VILLALPANDO, *Disputationes adversus protestationem 34 haereticorum Augustanae Confessionis* disp. 5 (Venetiis 1564).

totum orbem christianum decent, nisi o Pontifice Romano probentur atque de illis, ut ab omnibus observentur, edicto suo caveat». Quale, precor, esset hoc discrimen, si Concilium generale ad omnes obligandos simili prorsus confirmatione Romani Pontificis indigeret? Et disp. 9 ex professo probat Concilium generale, modo sit legitime congregatum, habere assistentiam Spiritus Sancti; et refert se id latius docuisse in Apologia contra Montanum.

[42] 12. *Franciscus Ovandus*, franciscanus, In 4 dist. 18 prop. 25 coroll. 2 (48) sic ait: «*haec est etiam una causa, propter quam generalia Concilia a Summo Pontifice petunt confirmationem: ne si postea dissideat a Concilio, causare possit vel se non consensisse, vel legatos instructionem a se datam non observasse. Ante talem confirmationem, si legati instructionem servarunt, Concilium errare non potuit. Quia erat generale, assistente capite cum membris quae assistere ad definiendum debebant, videlicet episcopis. Non enim ex futura confirmatione pendebat assistentia Spiritus Sancti ad tale Concilium; quod nec generale dicendum* [F. 35v] *fuisset ante confirmationem, quia per se ipsum Papa non aderat, nec confirmatio illud generale faceret, si prius non erat*».

[43] Secunda classis sit illorum qui licet rem non ita expresse doceant, adeo insinuant ut ex eorum doctrina necessario colligatur.

13. *Thomas Waldensis* lib. 2 Doctrinalis fidei a. 2 cap. 26 et 27 (49) multa profert de infallibilitate Conciliorum contra Wiccleff, nunquam tamen exigit confirmationem Papae. Et cap. 26 sic loquitur: «*non ergo dubitat Ecclesia sancta Dei, toties assistere sibi Spiritum Sanctum, quoties congregati fuerint auctoritate plenaria in nomine Christi ad fidei dubium resolvendum*». Ecce solam postulat congregationem plenaria auctoritate, id est Romani Pontificis. Clarius adhuc quia a. 3 sequenti cap. 46 et 47 dicit in Papa etiam esse infallibilitatem in iudicando de rebus fidei et morum. Condistinguit ergo duas regulas fidei, utramque infallibilem, Concilium videlicet et Papam. Sed inepte prorsus et falso distingueret, si tota infallibilitas Concilii est ex decreto Pontificis. Sentit ergo, citra decretum Pontificis, definitionem Concilii generalis, legitime congregati et procedentis, esse infallibilem.

---

(48) F. DE OVANDO, *Breviloquium scholasticae theologiae in 4 libros Magistri Sententiarum* dist. 18 prop. 25 coroll. 2 (Salmanticae 1584).

(49) THOMAS NETTER (WALDENSIS), *Doctrinale antiquitatum fidei catholicae Ecclesiae* lib. 2 a. 2 cp. 27 (Venetiis 1757) t. 1 p. 281.

[44] 14. *Michael Medina,* vir acuto ingenio et eruditione non vulgari, lib. 5 de recta in Deum fide cap. ultimo (50), fidei regulas enumerans, hoc ordine collocavit: Sacram Scripturam, Conciliorum generalium definitiones, Pontificum Romanorum decreta. Condistinguit ergo has regulas. Verba non refero ut brevitati consulam.

[45] 15. *Michael Palacios* in 3 dist. 24 disp. 4 (51) fidei regulas statuens eodem ordine enumerat. «*Prima est,* inquit, *Scriptura Sacra... Secunda est Concilia generalia, rite et recte celebrata; quia si non celebrantur auctoritate Papae, non habent vegeta decreta*». *Si non celebrantur* dixit, confirmationem non exigit. «*Tertia regula est Apostolica Sedes*». Condistinguit ergo utramque regulam. Et in eadem dist. disputatione 2 ad 1 sic ait: «*primo respondebis Concilia* [F. 36] *oecumenica in decretis fidei et morum habere certissimam et irrefragabilem fidem*». Et deinde comparat illa cum Papa et cum Sacra Scriptura in infallibilitate, et subiungit: «*arbitror autem, Concilia generalia esse minoris auctoritatis quam Papae sit auctoritas, non quantum ad infallibilitatem decretorum, sed quantum ad auctoritatem principii; quippe Concilii auctoritas ex Papa est. Etenim Papam si subduxeris, hoc est Papae potestatem, Concilium generale suas deponit vires in decernendis causis fidei et morum*». Haec ille. Attende quod in infallibilitate non dixit esse Concilium inferius Papa, sed in auctoritate principii; id est in eo quod legitime non congregatur sine auctoritate Pontificis. Et si non sit legitime congregatum, non est infallibile nec verum Concilium. Quod autem idem auctor dist. 25 disp. 3 dixit, Concilium sine decreto Papae non posse arctare fideles ad credendum, id est quod alii theologi dixerunt, quod, licet decreta Concilii ante confirmationem sint de fide, non tamen obligant singulos fideles ad credendum donec a Pontifice proponantur. Vel alias auctor iste sibi contradiceret manifeste.

[46] 16. *Ioannes Lensaeus,* De Ecclesia lib. 6 cap. 18 (52), sententiam Concilii generalis in rebus fidei infallibilem esse probat ex variis capitibus; tum ex eo quod Patres in illo convenientes sint pastores dominici gregis, in hoc positi ordinatione divina ut non essent subditi eis populi instar fluctuantium parvulorum, qui circumferentur omni vento

---

(50) M. MEDINA, *Christiana Paraenesis, sive De recta in Deum fide* lib. 5 cp. 15 (Venetiis 1564) fol. 179.

(51) M. PALACIOS, *Disputationes theologicae in 4 libr. Sententiarum* lib. 3 dist. 24 disp. 4 (Salmanticae 1577) p. 254s; disp. 2 ad 1 p. 247; dist. 25 disp. 3 p. 271ss.

(52) I. DE LENS, *De una Christi in terris Ecclesia* lib. 6 cp. 18 (Lovanii 1577).

doctrinae, sed illi essent, quorum voces oves tuto sequi possent. Quod illi errori subdi possent, idem iudicat ac si portae inferi adversus Ecclesiam praevalere possent; et Concilium generale esse illam Ecclesiam, quam si quis non audierit sicut ethnicus et publicanus sit habendus. His fere verbis ille, et tandem subiungit: «*ea propter, maiores nostri eam unam esse putarunt conservadae unitatis rationen, si ex diversis terrarum partibus Ecclesiae episcopi in unum convenirent, et in iis quae* [F. 36v] *fidei essent atque doctrinae quid populos sequi oporteret, gravissima quae in Ecclesia esse possit auctoritate, commostrarent. Ubi enim Ecclesiae fides vel agnosci vel vox audiri certius queat*?». Quod vero hanc infallibilitatem non referat in solum Summum Pontificem vel eius decretum, satis patet ex ratione quam adduxit, de fine et institutione pastorum, id est episcoporum Ecclesiae.

[47] 17. *Axiomata chistiana*, lib. 2 a. 4 cap. 7 (53), statuit illud discrimen inter nationalia et generalia, quod ista errare non possint, bene tamen illa. Certe de non confirmatis intelligit, vel manifeste erraret. Cap. 8 dicit in hac parte maxime sibi placere Abulensem, cuius sententiam supra retuli. Cap. 9, exponens partes Summi Pontificis ut Concilium generale non erret, «*videat*, inquit, *Summus Pontifex, quos pastores constituat, quos legatos eligat, quos patres vocet, et quos bonos et doctos viros admittat. Namque si haec omnia diligenter et prout decet, in quantum fieri potest, faciat, ista secunda sententia, qua dicitur simpliciter Concilium non posse errare, placet magis, propter ea quae dicta sunt*». Quid ergo? Minutula enumerans, quod maximum est et omnino necessarium subticeret, confirmationem scilicet et decretum si citra illud Concilium posset errare etiam illis omnibus praestitis quae recensuit? Cap. 10 sequenti, explicans ius Papae in convocandis Conciliis generalibus, modo locoque signandis, de confirmatione non meminit. Eodem libro a. 6 cap. 7 «*dissentire*, inquit, *a Patrum sententia in Concilio habita non solum non licet, sed etiam haeresim facit; dissentire autem ab eis quasi a singulis (quod fit dum eis in aliquo adversatur, quod ipsi in Concilio non definierunt) non est haeresis, sed temeritas quidem aut superbia magna*». Si solus Papa definit, quorsum distinguit resistere eis, quasi ut multis (convenientibus nempe in Concilio), et hoc esse haeresim? Lib. 4 disp. 4, postquam in illa quaestione, an Concilium sit supra Papam vel e contra,

(53) G. DE CASAL., *Axiomata christiana ex divinis Scripturis et SS. PP. cum ecclesiasticis tum etiam scholasticis* lib. 2 a. 4 cp. 9 (Conimbricae 1550) fol. 109; a. 6 cp. 7 fol. 136; lib. 4 disp. 4 cp. 4 fol. 183 et 196.

varias sententias retulerat, cap. 4 duo statuit: alterum de eminentia Papae, et quod apud ipsum est supremum tribunal quoad potestatem ordinis [F. 37] et iurisdictionis supra omnes et singulos de Ecclesia simpliciter et absolute loquendo, «*alterum*, ait ille, *quod universale Concilium est quidem repraesentativum universalis Ecclesiae, tamquam prima et simillima sua genitura, gradus suos et status ecclesiasticos distinctos habens. In quo est supremum tribunal luminis quoad potestatem seu auctoritatem docendi inveniendique verum ad religionem pertinens fidei aut morum*». Et infra: «*Papa excedit in potestate iurisdictionis, Concilium in auctoritate luminis. Concilium sua auctoritate invenit, quid credendum et quid faciendum est; Papa vero sua potestate illud inventum praecipit observari*». Et quia in sequentibus plurimum tribuit, ut par est, auctoritati Papae, ad finem libri notavit in margine his verbis: «*hoc intelligatur excepta illa auctoritate determinandi verum, quam supra diximus Ecclesiam habere immediate a Deo sibi particulariter assistente, prout Ecclesia est*».

[48] 18. *Petrus de Bollo* in Oeconomia canonica (54) tertia classe paragrapho 15 vers. «nec praedictis» et vers. «tertium circa provinciale», agnoscit illud discrimen inter Concilium generale et provinciale iam supra relatum. Idem vers. «considerandum». Et sic exponit Gratianum 18 d. cap. 1.

[49] 19. *Glossa* in cap. «quoties» 24 q. 1 (55) sic scripsit: «*aliud est quaestionem de fide motam terminare, quod nulli praeter quam Romanae Sedi vel Concilio generali permittitur, aliud autem est ipsam sine definitione ventilare, quod Patriarchae et Primates facere possunt*». Expende disiunctionem *vel Concilio generali*, quae inepta prorsus esset si Concilium non posset infallibiliter definire sine decreto Pontificis; tunc enim esset cum Patriarchis et Primatibus adnumerandum, qui ventilare possunt, non definire.

[50] 20. Inter *Articulos Lovanienses* (56), quos refert Ioannes Drie-

---

(54) P. DE BOLLO O. P., *Oeconomia canonica, seu de sanctissimae catholicae Christi familiae ministrorum officio et conservanda ubique maiorum ecclesiastica disciplina*, cl. 3.ª par. 15 (Lugduni 1588).

(55) *Glossa ordinaria* in CIC Decr. II, 24, 1, 12 (*Decretum Gratiani... una cum glossis*, Taurini 1620, t. 1 col. 1387s).

(56) *Articuli orthodoxam religionem sanctamque fidem nostram respicientes, a S. Theologiae professoribus Lovaniensis Universitatis editi*, art. 25 (I. DRIEDO, *Opera* t. 3 p. 170s).

do t. 3 in fine, 25 talis est: «[*Certa fide tenda sunt*] *non solum quae Scripturis expresse sunt prodita, sed etiam quae per traditionem Ecclesiae catholicae credenda accepimus, et quae definita sunt super fidei et morum negotiis per cathedram Petri, vel per Concilia generalia legitime congregata*». Similis disiunctio eamdem vim habet. Est igitur haec sententia omnium theologorum lovaniensium.

[51] [F. 37v] 21. Inter *Articulos Parisienses* (57) ibidem relatos, 22 sic habet: «*certum est, Concilium generale legitime congregatum, universalem Ecclesiam repraesentans, in fidei et morum definitionibus errare non posse*». De congregato legitime loquuntur, nihil aliud postulant. Nostram ergo sententiam ut certam statuerunt.

[52] 22. *Ioannes Driedo* Libro De variis dogmatibus iam ad finem (58), eamdem illam differentiam Conciliorum generalium et provincialium agnoscit, immo ex Augustino inducit.

[53] 23. *Ioannes Viguerius* Granatensis in suis Intitutionibus (59) cap. 17 paragrapho 1 vers. 1 dixerat definitiones Concilii generalis esse immutabilis quia «*una est*, inquit, *fides universalis Ecclesiae, cui ex Christi promissione Spiritus Sanctus praeest*». Et vers. 7, essentiam et naturam (ut ille ait) Concilii generalis subiecta definitione declarans, sic illud definit: «*Concilium universale catholicae Ecclesiae est congregatio maiorum praelatorum Ecclesiae, auctoritate Romani Pontificis specialiter facta, ad aliquid sollemniter et communi intentione tractandum in religione christiana, Papa in ipso Concilio praesidente vel eius delegato*». Praeclaram sane definitionem attulisset, si decretum Pontificis existimaret omnino necessarium ad infallibilitatem Concilii; si quidem quod potissimum est et essentiale in Concilio, praetermisisset.

[54] 24. *Aragonius* 2.2. q. 1 a. 10 (60) tractatu de Conciliis, cum primam a me supra adductam sententiam retulisset, absolute protulit: «*sed opposita sententia est longe probabilior*». Verum est quod conclusione 1 sequenti limitare videtur, quando omnes prorsus conveniunt qui

---

(57) *Facultatis Theologiae Parisiensis ariculi 26, declarantes fidem et religionem christianam*, art. 22 (I. DRIEDO, *Opera* t. 3 p. 172).

(58) I. DRIEDO, *De ecclesiasticis Scripturis et dogmatibus* lib. 4 (Lovanii 1543).

(59) I. VIGUERIUS O. P., *Institutiones ad christianam Theologiam* cp. 17 par. 1 vers. 1 (Antuerpiae 1565) fol. 220v.

(60) P. ARAGÓN *In* 2.2 q. 1 a. 10 (Salmanticae 1584).

adsunt in Concilio. Quare in secundam sententiam supra expositam videtur incidisse.

[55] 25. *Cardinalis Hieronymus Albanus* venetus, pugnacissimus defensor pontificiae auctoritatis, libro de potestate Papae et Concilii 2 p., n. 127 (61) sic scripsit: «*et ut recta intelligatur, quonam modo Conciliorum differant potestates, sic distinguas necesse est: aut enim sine Pontifice colliguntur, quod in casibus tantum qui citra periculum differri nequeunt fieri conceditur (illos attingit); vel a Papa* [F. 38] *convocantur, qui vel ad certa expedienda negotia suam impetit auctoritatem, et tunc similiter quidquid extra illam fit irritum est; vel denique plenam eis exhibet potestatem, et eo casu possunt quaecumque negotia definire, argumentum legis in re mandata cap. mandat*». Ubi satis aperte docet quod in casu, quod Papa non limitavit facultatem Concilii, illud potest definire et eius definitio irrita [non] erit, sicut quando excedit facultatem definitio est irrita.

[56] 26. *Andreas Vega,* vir doctrina praestans, lib. 1 in Tridentinum cap. 5 paragrapho «nec ob eas causas» ad finem (62), sic ait: «*verum, cum haec sancta Synodus legatos habuerit Summi Pontificis, et ad eam* (n) *convocati fuerint episcopi ex toto orbe, et permulti fuerint praelati in ea ex diversissimis regionibus et nationibus nemini vel minimum debet esse dubium, quin universalem Ecclesiam repraesentaverit, et ea gavisa fuerit beneficentissima et infallibili Spiritus Sancti praesentia, qua et aliae Synodi generales semper in Ecclesia gavisae sunt*». Quae, ut patet ex eodem capite, scripsit nedum (ñ) ante quam confirmaretur Concilium, sed longe ante quam absolveretur. Et eodem capite paragrapho ultima: «*et super haec omnia,* ait, *ad auctoritatem huius decreti de iustificatione accessit approbatio Pontificis. Quamvis enim, quia nondum absoluta est haec Synodus, nullius hactenus decreti ipsius approbatio Summi Pontificis in publicum prodierit, tamen certo novi Suam Sanctitatem fecisse, ut ante istius editionem decreti a viris doctissimis discuterentur et examinarentur Romae materiae ad ipsum exspectantes, et post ipsius editionem, ma-*

(n) M *ea*
(ñ) M *necdum*

(61) CARD. IO. HIERONYMUS ALBANUS, *De potestate Papae et Concilii* p. 2 n. 127 (Venetiis 1544).

(62) A. VEGA, *De iustificatione doctrina universa* lib. 1 cp. 5 (Coloniae 1572) fol. 9s.

turo habito cum Sacro Cardinalium Collegio consilio, litteras, quibus illud laudat et approbat, ad Reverendissimos Dominos Legatos (o), *qui huic sessioni praefuerunt, misisse. Nihil itaque huic decreto deest, in omni catholicorum doctorum opinione, quominus reverenter catholicus aliquis definita in ipso suscipiat, quam definita in aliis sanctis et generalibus Synodis*». Perspexisti, qui legis, quam clare hic auctor utrumque expressit: et quod sit in opinione probabili, an confirmatio Pontificis sit [F. 38v] necessaria ad infallibilitatem definitionis Concilii, et quod sibi erridet negativa, quam nos sequimur.

[57] 27. *Thomas Beuxamis*, carmelita, libro De fide et Symbolo (63) capite cui titulus est «quod praelati et maxime Summus Pontifex Ecclesiam repraesentent», colligens ex praemissis inter cetera, sic deducit: «*quodque non modo Summus Pontifex, sed et ipsum consistorium vel Concilium legitime congregatum, auctoritatem Ecclesiae prae se fert*». Quod in sequentibus probat, tam ex veteri, quam ex novo instrumento, aliisque motivis. Ergo infallibilitatem Ecclesiae, non in solo Summo Pontifice definiente aut confirmante, sed etiam in legitimo Concilio agnoscit.

[58] 28. *Simancas* in Catholicis institutionibus titulo 54 n. 5 (64), enumerans modos, quibus propositio sit haeretica, «*tertio*, inquit, *si adversatur decretis Concilii generalis recte congregati in his quae ad fidem pertinent; quarto si obviet definitioni Sedis Apostolicae* etc.» Quae duo non differrent, si tota infallibilitas Conciliorum est ex definitione Pontificis.

[59] 29. *Guillelmus Ockam* in 1 et 3 lib. Dialogorum idem sensisse refertur per Gersonem [et] Almaynum. Sed ego non vidi.

[60] Tertia classis sit illorum auctorum, qui, licet sequantur aliquam sententiam ex oppositis, vel illas excusant, vel istam nostram docent esse ab omni nota liberam. Et in primis adnotaverim, nullum hactenus nostram damnasse sententiam, vel aliquam illi erroris notam et suspicionem inusisse, nisi forte Turrecremata lib. 3 cap. 32 supra citato. Ergo, ex omnium catholicorum consensu, immunis est ab omni erroris non modo labe, sed vel levi odore. Iam ad institutum redeo.

[61] 30. *Melchior Cano*, de Conciliis generalibus non confirmatis

(o) Gr *ad Romanos Dominos Legatos*

(63) THOMAS BEAUX-AMIS, *De fide et Symbolo* (Parisiis 1563).
(64) IAC. SIMANCAS, *Institutiones catholicae* cp. 30 (Vallisoleti 1552).

per Pontificem loquens libro illo 5 cap. 5 citato (65) inquit: «*sed ne in causis fidei quidem adeo exploratam auctoritatem habent, ut, qui ea in dubium vocet, haereticus sit. Tum quia auctores nobilissimi, quos ante diximus, Caietanus et Turrecremata, non solum citra haereseos crimen, sed probabiliter etiam consentiunt, nihil firmi dogmatis ab eiusmodi Synodis proficisci, quosque per Christi Vicarium approbentur*». Vides, [F. 39] quod si aliqua sententia ex relatis in discrimen haeresis adducebatur, illa erat opposita. Vides iterum, quod probabiliter tantum dixit Turrecrematam et Caietanum oppositum fuisse opinatos.

[62] 31. *Bellarminus*, cap. 11 citato (66), tertium modum proposuerat his verbis: «*tertio, consentientibus omnibus, etiam legatis, sed qui non habuerunt certam instructionem*». Iam supra ostendi, quod apud illum particula *omnibus* solum significat maiorem partem. Iam ergo, inquit: «*de tertio modo, res est sub opinione*».

[63] 32. *Turrecremata* lib. illo 3 cap. 64 (67) asseruit: «*quodsi Concilium et Papa inter se dissiderent, standum potius esset Concilio quam Papae*». Attende qualiter infirmum voluerit esse Concilium sine auctoritate Papae, qui discrepante Concilio infirmiorem fecit Pontificis sententiam. Hoc est contra illum, argumentum ad hominem.

[64] 33. *Pelbartus de Themeswar*, in suo Aureo Rosario t. 1 verbo opinio paragrapho 12 (68), idem docuit (p); et citat Angelum verbo «Papa» paragrapho 9, ubi docet Papam sine Concilio definientem errare posse (q); quod decuerat Glossa 15 d. cap. *sicut verbo praesumit et* cap. *Anastasius* 19 d. verbo «Concilio». Sed in hoc errarunt isti. Ego vero impossibile iudico, et non admittendum, quod Concilium legitime congregatum et procedens, et Pontifex ut caput loquens atque decernens, in fidei morumque decretis non conveniant; non secus ac quod Spiritus Sanctus, qui utrisque adest, sibi ipsi repugnet.

[65] 34 (r). *Cardinalis Petrus de Alliaco*, Quaestione de resumpta (69)

(p) Gr al margen añade *34*
(q) Gr al margen añade *35*
(r) Gr *36*

(65) M. Cano, *De locis theologicis* lib. 5 cp. 5 (Matriti 1791) t. 1 p. 341s.
(66) S. Robertus Bellarminus, *De Conciliis et Ecclesia* lib. 2 cp. 11 n. 3 et 5.
(67) I. de Torquemada O. P., *Summa de Ecclesia* lib. 3 cp. 64.
(68) Pelbartus de Themeswar, *Aureum sacrae theologiae Rosarium* t. 1 «opinio» par. 12.
(69) P. de Alliaco. *Quaestio de resumpta* (Argentorati 1490) fol. 292.

f. 292 p. 2, probabilem reputat nostram sententiam. Nam cum obiecisset sibi, ex conferente, Concilium generale non posse in fide deficere, ideoque in rebus fidei non posse ab illo ad Papam appellari, subdit: «*potest ad ista probabiliter dici* etc». Ipse quidem inclinat in illum errorem, quod et Papa per se et cum Concilio generali, posset a fide deficere et errare.

[66] 35 (s). *Alphonsus Salmeron* t. 12 tr. 48 (70), licet contrariam sequatur sententiam, sed tantum ut *veriorem et tutiorem*, inquit ille paragrapho «verum his». Ergo nostram reputat probabilem et tutam. Et paragrapho «si rursus [F. 39v] urgeas», excusat suam sententiam ab haeresi eisdem fere verbis quae ex Cano nuper retuli. Et in paragrapho «nec contra hoc est» et paragrapho «quae vero in contrarium» et dicto paragrapho «si rursus urgeas», tandem fatetur decreta Conciliorum esse dictata ab Spiritu Sancto ante confirmationem, et hanc exigi ut constet Concilia fuisse legitima et legitime processisse.

[67] Quis ergo hanc nostram sententiam iam damnet erroris, quam tam copiosus theologorum numerus, quos et prior illa et haec praesens aetas pios et gravissimos iudicavit, vel veram vel probabilem reputavit? Vel dicamus omnes illos repente haereticos evasisse aut non levem erroris suspicionem incurrisse!

[68] [PROBATUR 2.°] *Secundus locus, unde argumenta pro conclusione depromam, sint Scripturae testimonia.*

Primum sit ex Mt 18 [20]: *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi Ego in medio illorum sum.* Quod, saltem per argumentum a minori, probat Christum assistere patribus in universali Concilio congragatis ad fidem stabiliendam et mores componendos. Ita ex hoc loco argumentatur Caelestinus Papa in epistola ad Concilium Ephesinum I (71). et Concilium Chalcedonense post actionem 16 in relatione ad Leonem Papam (72), et in Concilio Toletano III non procul ab initio (73). Nam, si Deus iis assistit, qui in nomine suo ad aliquid ad salutem spiritualem conferens pertractandum convenerunt, pro rei exigentia et causae pondere, quanto potius credendum est assistere Ecclesiae suae in Concilio univer-

(s) Gr 37

(70) A. SALMERÓN, *Commentarii in Evangelicorum historiam et in Acta Apostolorum* (Madriti 1601) t. 12 tr. 84 p. 776-779.
(71) HARDUIN, *Acta Conciliorum* 1, 1467.
(72) HARDUIN, *Acta Conciliorum* 2, 655.
(73) *Collectio Canonum Ecclesiae Hispanae* (Matriti 1808) 339: ML 84, 345.

sali ad res in religione gravissimas statuendas. Addo quod de Concilio generali legitime congregato longe certius est in nomine Domini convenisse, quam de reliquis congregationibus, etiam synodis particularibus. Quia generale Concilium non indicitur nisi ad gravissima Ecclesiae negotia tractanda, illa, inquam, quae ad debitum Dei cultum et aeternam hominum salutem in primis referunt, qualia sunt fidei et morum.

[69] *Secundum* testimonium sit Io 14 [26]: *Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, Ille vos docebit omnia et suggeret* [F. 40] *vobis omnia, quaecumque dixero vobis.* Et Io 16 [13]: *cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Haec omni collegio Apostolorum dicta et promissa sunt, non pro illis tantum, sed pro eorum etiam successoribus, videlicet episcopis. Hinc enim dixit Christus capite illo 14 [16]: *et alium Paraclitum dabit vobis* (scilicet Pater), *qui maneat vobiscum in aeternum.* Idem ergo Spiritus Sanctus, qui docuit quondam Apostolos, docet nunc episcopos; non quidem singulos seorsum, nec enim unumquemque singillatim instruit de omni veritate; ergo saltem omnes in unum collectos, nempe in Concilio. Alias cassa est et irrita illa promissio.

[70] Dices: sufficit quod illos instruat per Romanum Pontificem, Petri successorem. Respondeo: sufficeret quidem, si Deus ita instituisset; sed hoc contendo, longe aliter Deum promisisse et instituisse. Quod sic deduco. Primo, quia illa promissio specialis est ad episcopos et praelatos et (ut potius dicam) immediate ad illos. Nam inquiro, quas personas per se et immediate designet illud pronomen *vos*, eo loco? Si dicas quod Apostolos et eorum successores, ergo illis immediate promissa est doctrina Spiritus Sancti, et non tantum mediate per alium. Sin minus poterit illud pronomen aeque bene significare reliquam plebem. Quia ad illam, etiamsi per praelatos et pastores, pervenit tandem instructio. Et quis neget in maiori rigore et proprietate explicari et verificari promissionem illam Christi, si intelligatur immediate facta ipsis praelatis ab Spiritu Sancto per se ipsum edocendis, et non solum mediate et per alium? Sed, age, urgeamus amplius. Sit probabilis sensus, illos docendos esse per Petrum et eius successores in Romana Sede. Quare probabilis non erit textuique conformis, collectionem praelatorum, ut par est procedentium auctoritate Pontificis et sub eius obaedientia et instructione, immediate esse ab Spiritu Sancto docendam? quis unquam sanctorum illum attulit vel hunc reiecit? quid ergo, iam tibi licet, tametsi accommode Scripturam interpreteris, sensum illum [F. 40v] tamquam de fide certum statuere, reliquosque omnes ut improbabiles abicere? Nihil minus.

[72] *Tertium* testimonium sit Act 20 [28]: *attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Ad idem est illud eiusdem Apostoli ad Eph 4 [11], ubi enumerans Ecclesiae gradus et munera *alios,* inquit, *pastores et doctores* (videlicet dedit Deus), et illud Mt ultimo [19]: *docete omnes gentes.* In quibus et aliis plerisque locis agnovimus, episcopos esse ex institutione Christi pastores et doctores Ecclesiae, illisque ex officio incumbere pascere et regere Ecclesiam; sed praecipuus et unicus pastus est fidei integritas et morum puritas; ergo in utroque habent Ecclesiam regere et instituere. At inoffense et absque errore plebem regere, non est datum singulis seorsum; ergo saltem id concessum est omnibus collective, qualiter conveniunt in Concilio. Respondent, convenire quidem illis collective sumptis, sed per doctrinam et institutionem Romani Pontificis, non secus. Sed contra: ergo in doctrina et moribus decernendis illi nunquam pascunt nec regunt plebem, sed pascit et regit unicus Petrus. Patet, quia, si non habent pascua seligere, mala a bonis discernere, sed solus Petrus, ergo ille solus est, qui quoad hoc pascit, non reliqui. Pascunt quidem episcopi sub Petro et eius successore; pascunt tamen ipsi pascuaque discernunt; quia sub obaedientia Romani Pontificis collecti haec praestant. Sed non pascit solus Petrus, fidei et morum infallibiles (t) regulas solus statuens. Pascendi itaque officium plura involvit: pascua fidei et morum seligere, et probare, omnibusque in communi proponere; rursus illa singulis sibi commissis ministrare, eosdemque in officio continere ne in vetita irrumpant. Primum, quia integram tangit Ecclesiam, non convenit singulis episcopis seorsum, sed omnibus simul. Reliqua singulis competunt, unicuique in plebe sibi credita.

[73] [F. 41] Dices: pascendi officium, adeo latum ut omnia illa munia comprehendat, soli convenit Romano Pontifici, non reliquis episcopis. Sed contra: in primis audio Paulum absolute dicentem: *posuit vos episcopos regere Ecclesiam Dei;* regere autem idem est quod pascere. Et ipsum Apostolorum Principem: *pascite, qui in vobis est, gregem.* Quare integrum pascendi officium videtur illis commissum. Secundo, unde constat soli Petro et eius successoribus esse reservatum in fide moribusque decernere, et quod collectioni episcoporum, legitime in Concilio convenienti, id tribui non possit?

[74] [PROBATUR 3.°] *Tertio, nobis argumenta suppetent Conciliorum*

(t) M *infallibilis*

decreta. Nam *in Concilio Constantiensi* sessione 4 (74) sic statuitur: «*et primo, quod ipsa Synodus, in Spiritu Sancto congregata, legitime generale Concilium faciens Ecclesiam catholicam militantem repraesentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet, cuiuscumque status et dignitatis, etiamsi papalis, exsistat, obaedire tenetur in iis, quae pertinent ad fidem et extirpationem dicti schismatis et reformationem generalem Ecclesiae Dei in capite et in membris*». Ponderanda sunt illa verba *potestatem a Christo immediate habet in iis quae pertinent ad fidem* etc. Et sessione 45 et ultima eiusdem Concilii, Sanctissimus Papa Martinus V dixit: «*quod omnia et singula determinata et decreta in materiis fidei per praesens Concilium conciliariter, tenere et inviolabiliter observare volebat, et nunquam contraire quoquomodo; ipsaque sic conciliariter facta approbat et ratificat, et non aliter, nec alio modo*». Auctores oppositae sententiae graviter premuntur hoc testimonio. Quare unusquisque vim illius subterfugere conatus est. Caietanus, t. 1 Opusculorum tr. 1 cap. 8 (75), dixit verba illa formaliter esse intelligenda, id est quando aliquid decernitur ut credendum; sed in dicta sessione 4 nihil decretum est ut credendum. Haec tamen solutio ex ipso definitionis contextu reicitur. Vel simili evasione quaevis alia definitio cuiusvis Concilii poterit infringi.

[75] Valentia loco citato (76) paragrapho «ad septimam probationem», respondet, Martinum approbasse quae decreta sunt conciliariter; illius autem sessionis [F. 41v] decreta non sunt, inquit, conciliariter edita, quia nulli fuerunt ad res fidei tractandas deputati. Sed haec solutio frivola est. Constat enim longe conciliarius esse decretum, quod omnium communi calculo firmatum est, quale fuit illius sessionis. Quod autem addit illud fuisse editum tumultuarie, dixit sane, sed nec ex levi quidem coniectura (u) probare potuit.

[76] Alii tertio respondent, in illa sessione nondum fuisse generale Concilium; quia tantum aderat obaedientia Ioannis XXIII; postea accesserunt obaedientia Gregorii XII et Benedicti XIII. Quid ergo? Si illi contumaces in schismate perdurarent, nunquam esset generale Concilium, nec illi indurato schismati (v) posset conveniens remedium adhiberi?

(u) M *coniectum*
(v) M *schismate*

(74) HARDUIN, *Acta Conciliorum* 8, 252 et 899.
(75) T. DE VIO CAIETANUS, *De auctoritate Papae et Concilii* cp. 8 (*Opuscula omnia*, Lugduni 1585) t. 1 p. 11.
(76) G. DE VALENTIA, *Analysis fidei catholicae* lib. 8 cap. 7 p. 116.

Sufficit ergo quod omnes essent legitime convenienterque vocati, ut Concilium generale diceretur, etiamsi aliqui renuerent accedere.

[77] At si obicias, ex hoc sequi Concilium generale esse independens a Papa, immo et superius illo, si quidem et ipse Papa in decretis fidei et morum tenetur Concilio obaedire, respondeo negando consequentiam. Nam Concilium necessario et omnino dependet a Papa, quandoquidem non habet assistentiam Spiritus Sancti nisi sit legitime convocatum, et sub obaedientia et instructione Romani Pontificis procedat. In quibus omnibus a Papa necessario dependet. De hoc Concilio generali, sic legitime convocato et procedente, intelligendum est decretum ralatum Concilii Constantiensis. Illud namque habet potestatem immediate a Deo in his, quae sunt fidei et morum; quia habet assistentiam Spiritus Sancti sibi promissam. Et ideo illius decretis in praedictis materiis tenentur omnes assentire, etiam Papa. Non quia Papa sit inferior, aut Concilium in Papam exercere possit aut habeat iurisdictionem aliquam; sed quia eo ipso quod sibi constat Concilium fuisse legitimum et legitime processisse, cognoscit definisse ex assistentia Spiritus Sancti, atque adeo definita ab illo esse infallibilis et divinae veritatis.

[78] *Secundo in Concilio Florentino* in decreto Eugenii pro unione Armenorum in 5 puncto (77) sic dicitur: «*atque non solum dictas* [F. 42] *tres Synodos, sed et omnes alias universales, auctoritate Romani Pontificis legitime celebratas, sicut ceteri fideles, reverenter suscipiant*». *Celebratas* dixit, non confirmatas. Iam ergo, ut suam tueantur sententiam, negabunt legitime fuisse celebratas illas Synodos universales, quibus deficit confirmatio, etiam si auctoritate Romani Pontificis, praesentibus eius legatis, et ad unguem instructione servata, peractae sint. Restat ergo nunquam legitime celebrari; quia per subsequentem confirmationem non celebrantur aut peraguntur, sed celebratae et peractae confirmantur. Ergo decretum illud nunquam potest verificari in illorum sententia. Quare miror, quomodo audeant pro se illud afferre. Sed verba addunt atque confingunt, ut aliquid concludere possint. Verum est, quod illa citant ex unione Iacobinorum, qualis profecto in illo Concilio non reperitur, sed Graecorum et Armenorum tantum; et in hac posteriori de Conciliis actum est per verba relata.

[79] *Tertio, commune est Synodis generalibus* dicere: «*haec sancta*

(77) HARDUIN, *Acta Conciliorum* 9, 437.

synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata»; ut videre est in Tridentina per omnes sessiones. Quae verba, quid aliud significant, quam quod Synodus, eo quod legitime congregata, habet assistentiam Spiritus Sancti? Dicunt illis verbis solum innui, quod per motionem Spiritus Sancti Papa Concilium indixit et ad illius iussionem Patres convenerunt. Sed contra: primo, haec expositio est contra communem catholicorum intellectum; ubi singulorum conscientiam in testem profero. Secundo, licet verum sit quod ex instinctu Spiritus Sancti Papa convocaverit Concilium et Patres convenerint, longe tamen certius et clarius habet in Scriptura fundamentum quod Synodus legitime congregata habeat assistentiam Spiritus Sancti, quam quod ex instinctu Spiritus Sancti sit indicta. Quia potuit Papa illam indicere vel vanitate motus, vel alia sinistra intentione; et plures ex episcopis ex simili pravo fine convenire; et nihilominus, si legitime et sub obaedientia Pontificis procederent, haberent assistentiam Spiritus Sancti in rebus fidei et morum decernendis. Quia [F. 42v] haec non pendet ex sanctitate personarum vel actionum, sed ex legitimo processu iuxta Papae instructionem. Ergo illa Concilii verba in hoc sensu sunt accipienda, non in illo in quem a contrariis detorquentur.

[80] *Quarto, ex eodem Concilio* sessione ultima (78) illis verbis «*Sancta Synodus id potissimum curavit, ut praecipuos haereticorum nostri temporis errores damnaret et anathematizaret, veramque et catholicam doctrinam traderet et doceret, prout damnavit, anathematizavit et definivit*». Similia verba anathematizationis et definitionis frequentia sunt in aliis sessionibus; immo in omnibus Conciliis, a Nicaeno per reliqua discurrendo. Quid ergo anathematizant, aut quid definiunt, qui nec anathematizare nec definire possunt, sed solus Papa, si vera est opposita sententia? Nam quid, precor, aliud est definire, quam veritatem catholicam a Deo revelatam et ab omnibus credendam statuere et proponere? Sed hoc soli Papae est reservandum in opposita sententia. Falso ergo Concilia se iactant anathematizare et definire.

[81] Et hic pondero quod in Concilio Nicaeno, ut habetur in codice vaticano ex codice Dalmatii Archiepiscopi Cycicenorum quondam collecto (79), capite cui titulus est «quomodo (x) ab universa Synodo excommunicatur impius Arrius et qui cum illo erant», Patres illius Concilii

(x) M *quo*

(78) Concilium Tridentinum sess. 25 (CTr 9, 1106).
(79) HARDUIN, 1, 422.

longe ante confirmationem Silvestri Papae anathematizarunt Arrium et omnes cum illo sentientes et ab Ecclesia expulerunt. Sed nisi firma et infallibilis haberetur illa definitio ante decretum vel confirmationem Silvestri, immerito damnarentur et ab Ecclesia pellerentur ut haeretici Arrius et alii. Ea capite sequenti constat illos non solum a Concilio statim fuisse damnatos ante confirmationem Silvestri, sed a Constantino in exilium relegatos, tamquam Deo adversantes. Sic enim ibi dicitur.

[82] *Quinto, in Concilio Chalcedonensi actione* 1 (80) ante libellum Carisii relecta sunt quaedam acta Synodi Ephesinae I in haec verba: [F. 43] «*secundum sanctionem piissimorum et amicorum Christi imperatorum Theodosii et Valentiniani, congregata in Ephesia metropoli ex omni, sicut dicitur, mundo sancta hac Synodo religiosissimorum omnium ecclesiarum episcoporum, et considente et definiente obtinere ac firmam esse fidem, quae exposita est per Sanctum Spiritum a Sanctis Patribus pro tempore in Nicaea civitate congregatis numero trecentis decem et octo* etc». Vides quam aperte dicit, Spiritum Sanctum per trecentos decem et octo Patres luquutum fuisse. Ergo sentit illorum decretum ante confirmationem Silvestri esse ab Spiritu Sancto.

[83] *Sexto,* et meo videri urgentissime, argumentor *ex Concilio Nicaeno et ex Tridentino. Ex Nicaeno quidem* quia in subscriptionibus sic dicitur (81): «*Osius, episcopus civitatis Cordubensis, provinciae Hispaniae,* dixit: *ita credo, sicut superius scriptum est. Victor et Vincentius, Praesbyteri urbis Romae, pro venerabili viro Papa et episcopo nostro Sancto Silvestro subscripsimus, ita credentes, sicut supra scriptum est*». Deinde subscribunt reliqui, utique ita credentes. Nam ex illo graeco codice vaticano capite cui titulus est «de omnium consensu circa consubstantiale», postquam retulit decrevisse omnes Patres orthodoxos ut definiretur consubstantiale subdit: «*quam fidem omnes Nicaeae congregati sancti episcopi confirmarunt, et tota sacrorum et confitentium multitudo, et ipse laudatissimus et Deo dilectissimus rex, et tota fidelium qui illic convenerat multitudo, gaudentes, hanc fidei confessionem susceperunt*». Credentes sane; sicut ipsi, qui confirmarunt et definierunt in suis subscriptionibus, se credere professi sunt. Et capite ultimo illius codicis dicitur, quod Rex, iudicata a Synodo et eversionem cum Deo pugnantium et orthodoxae fidei expositionem, sicut divinatus oblatam, libenter sus-

(80) HARDUIN, 2, 246.
(81) HARDUIN, 1, 312 et 422.

cepit cum maxima reverentia. Ecce Osius et reliqui legati, qui vice Silvestri illi Synodo praesidebant, ante eiusdem Silvestri confirmationem profitentur se credere decreta illius Concilii. Immo reliqua fidelium, quae aderat, multitudo eamdem fidem suscepit et Constantinus imperator ut a Deo oblatam reverenter amplexus est. Ergo omnes illi manifeste senserunt, decreta illa esse dictata ab Spiritu Sancto, et ita divinae [F. 43v] veritatis, etiam ante quam a Papa confirmarentur.

[84] *Ex Tridentino vero*, nam acclamationibus (82), quae habentur ad finem Concilii post decretum de postulanda confirmatione sed longe antequam obtineretur, Cardinalis a Lotharingia proponebat, respondebat Synodus, in hunc modum: «*Cardinalis: Sacrosancta Oecumenica Tridentina Synodus! Eius fidem confiteamur, eius decreta semper servemus. Resp.: semper confiteamur, semper servemus. Cardinalis: omnes ita credimus, omnes id ipsum sentimus, omnes consentientes et amplectentes subcribimus. Haec est fides Beati Petri et Apostolorum, haec est fides Patrum, haec est fides orthodoxorum. Resp.: ita credimus, ita sentimus, ita subscribimus*». Attende, precor, nondum erat Synodus confirmata a Papa et iam clamant illius decreta esse fidem Beati Petri, esse fidem Patrum et orthodoxorum. Nondum erant confirmata et iam illa credunt. Credunt ergo quae nondum erant de fide! O sane stultam illius sacri Concilii fidem, si vera est opposita sententia! Libet hic illos sanctissimos Patres interpellare. Quid creditis, Patres venerandi, Ecclesiae catholicae lumina, quid creditis hac intrepida et constanti fide? Illane quae nondum sunt a Pontifice confirmata? Utique credimus. Quid ergo? Illa de quorum fide dubitatis vel dubitare potestis? Absit! Non attenditis nondum esse confirmata? Notissimum est. Quid refert quominus credamus divina fide, quaecumque in fide moribusque decrevimus? Sunt ergo de fide citra Pontificis confirmationem? Sunt utique. Alias non crederemus illa, sicut credimus et toto corde et ore profitemur. Abeant ergo auctores oppositi, et vel se falsum opinatos esse fateantur, vel gravissimos et orthodoxos Patres de stulta et falso adhibita fide accusent et damnent.

[85] [PROBATUR 4.°] *Quartus locus sit ex Conciliorum Pontificumque decretis simul.* Nam cum saepius statuerint Concilia generalia praeter auctoritatem Romani Pontificis celebrari non posse, ut pro contraria sententia arguentes vidimus, mirum est profecto quod nunquam addiderint: et illa auctoritate celebrata, sine confirmatione et decreto invalida

(82) CTr 9, 1109.

esse; cum aeque esset utrumque exprimendum. Quod enim ex Demaso in contrarium [F. 44] obiectum est, dum expendatur inferius, planum fiet pro nobis pugnare. Similiter et illud saepius inculcatum a Pontificibus, maiores causas esse ad Sedem Apostolicam deferendas.

[86] [PROBATUR 5.°] *Quinto probatur testimoniis Sanctorum. Augustinus* ep. 162 (83) sic scripsit: «*ecce putemus illos episcopos, qui Romae iudicarunt, non bonos iudices fuisse; restabat adhuc plenarium universae Ecclesiae Concilium, ubi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari*». Et tamen inter illos episcopos qui Romae iudicarant erat Melchiades Papa, ut idem Augustinus praemiserat. Vide quantum tribuat universali Concilio, ut illius sententia superesse dicat post sententiam Papae in Concilio Romano. Et lib. 2 de baptismo contra Donatistas cap. 4 (84), excusans Cyprianum in illo suo errore de rebaptizandis haereticis, sic loquitur: «*cui* (nempe auctoritate universae Ecclesiae) *et ipse sine dubio cederet, si iam illo tempore quaestionis huius veritas eliquata et declarata per plenarium Concilium solidaretur*». Et tamen tempore Cypriani praecesserat decretum Stephani Papae de non rebaptizandis haereticis, ut notissimum est. Facit ad idem quod ipse Augustinus lib. 1 de baptismo cap .18 scripserat in haec verba: «*in qua tamen* (nempe Ecclesia), *si aliud alii et aliud alii adhuc de ista quaestione* (de rebaptizatione, inquam, haereticorum) *salva pace sentirent, donec universali Concilio unum aliquid eliquatum sincerumque placuisset, humanae infirmitatis errorem cooperiret unitas caritatis* etc». Ex quibus planum relinquitur, quantum Augustinus et, ut ipse refert, Cyprianus tribuerit universali Concilio. Si quidem illum, qui definienti Stephano Pontifici non cessit, cessurum tamen affirmat universali Concilio. Et quamvis resistens Stephano Papae erraverit Cyprianus, indicat tamen quantam in Concilio universali infallibilitatem agnoverit, adhuc seclusa Pontificis confirmatione. Si quidem illa non potuit esse magis infallibilis, quam ipsius Papae Stephani decretum; cui tametsi restitit Cyprianus, Concilii tamen definitioni sine dubio annueret. Et idem Augustinus lib. 2 citato cap. 3: «*et ipsa Concilia*, inquit, *quae per singulas regiones vel* [F. 44v] *Provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quae fiunt ex universo orbe christiano, sine ullis ambagibus cedere* etc». Ubi inquiram, an loquatur Augustinus de utrisque, provincialibus et plenariis, confirmatis, vel non. Primum dici non potest, quia

(83) S. AUGUSTINUS, *Epistola* 43 cp. 7 n. 19: ML 33, 169; CSEL 34, 101.
(84) S. AUGUSTINUS, *De baptismo contra Donatistas* lib. 2 cp. 4 n. 5: ML 43, 129; lib. 1 cp. 18 n. 27: ML 43, 124; lib. 2 cp. 3 n. 4: ML 43, 128s.

provincilia confirmata aeque sunt infallibilia cum plenariis. Si secundum, habeo intentum, quod plenarium non confirmatum in sententia Augustini sit infallibile. Dices: de provincialibus non confirmatis et de plenariis confirmatis est intelligendum. Et rursus insto: unde haec constat mens Augustini? Dicent: quia plenarium non est nisi confirmatum. Sed haec solutio paulo post infringetur, et urgebo Agustini testimonium.

[87] *Leo Magnus* ep. 61 (85), quae est ad Iuvenalem, Patres Concilii Nicaeni dicit fuisse divinitus inspiratos. Sentit ergo illis in Concilio definientibus astitisse Spiritum Sanctum, ac perinde eorum decreta esse infallibilia absque ulla alia confirmatione Pontificis.

[88] *Isidorus,* lib. 6 Etymologiarum capite de canonibus Conciliorum (86), postquam quatuor illa Concilia sicut quatuor Evangelia suscipienda docuerat et singula enumeraverat, subiungit: «*sed et si quae sunt Concilia, quae Sancti Patres Spiritu Dei pleni sanxerunt post istorum quatuor auctoritatem, omni manent stabilita vigore*». Expendatur, obsecro, verbum illud *quae Sancti Patres Spiritu Dei pleni sanxerunt.* Ergo Sancti Patres Spiritu Dei pleni sanciunt in Conciliis. Quando igitur replentur Spiritu Sancto? quando sanciunt et sententiam dicunt vel, quando postea supervenit confirmatio? Sed haec saepius accedit, iam dissoluto Concilio. Igitur tunc praeposterus esset utique illapsus Spiritus Sancti. Et quis dubitet? quorsum enim repleretur Spiritu Sancto, qui iam nihil pertractare, nedum (y) definire, poterant? Restat ergo, quod in sententia Isidori Patres replentur Spiritu Sancto quando in ipso conventu Concilii sanciunt aliquid et determinant. Quid ergo? Quod Spiritu Sancto dictante protulerunt, infirmae auctoritatis esse dicemus donec idem Spiritus Sanctus [F. 45] per os Pontificis Romani eamdem iterum proferat statuatque sententiam? quis audeat tam vesane loqui? Concludamus ergo, vel omnino stupide et inepte dixisse Isidorum Sanctos Patres Spiritu Dei plenos sancire in Conciliis, vel illum aperte sentire Concilii definitionem, utpote ab Spiritu Sancto dictatam, esse infallibilem ante Pontificis confirmationem.

[89] Accipe aliud *eiusdem Isidori* testimonium in praefatione ad suam canonum collectionem (87), quae refertur a Laurentio Surio t. 1

(y) M *neccdum*

(85) S. Leo Magnus, *Epistola* 114 cp. 2: ML 54, 1031.
(86) S. Isidorus, *Etymologiae* lib. 6 cp. 16 n. 10: ML 82, 244.
(87) PsIsidorus, *Collectio Decretalium* prol.: ML 130, 9.

Conciliorum ad initium. Sic scripsit Isidorus: «*Synodorum vero congregandarum auctoritas Apostolicae Sedi privata commissa est potestate, nec ullam Synodum ratam esse legimus, quae eius non fuerit auctoritate congregata vel fulta. Haec canonica testatur auctoritas, haec historia ecclesiastica roborat, haec Sancti Patres confirmant*». Verba sunt Isidori in quibus non patior disiunctionem illam oscitanter audiri vel congregata dixit vel fulta; alterum ergo sufficit ut rata sint, ergo sine eo quod confirmatione fuiciantur dummodo apostolica auctoritate congregata sint atque procedant rata sunt Concilia, inquit Isidorus. Et vide quam certum id statuit quippe canonum auctoritate, ecclesiastica historia, Patrum testimonio roboratum.

[90] *Auctor ille qui Synodum Nicaenam* prope tempora Basilici imperatoris *collegit* ex codice Dalmatii Cycicenorum episcopi (habetur in Vaticano et refertur a Surio in t. 1 Conciliorum) in eadem Synodo Nicaena in praefatione sic dixit (88): «*proferente enim me quae in illa sancta orthodoxorum Dei sacerdotum corona in Spiritu Sancto a Domino per eos fuerant explicata*». Nota illud *sacerdotum corona in Spiritu Sancto* et illud *a Domino per eos*. Apertissime enim ostendunt, auctorem illum sentire Deum per illos Patres loquutum fuisse. Et in eodem codice capite cui titulus est «de omnium consensu circa consubstantiale» sic incipit: «*his hoc modo a Sancto Spiritu per Sanctos Patres nostros in sacra illa Synodo collectos explicatis*». [F. 45v] Et nondum advenerat confirmatio Sylvestri, immo nec postulata fuerat. Et tamen clare testatur Spiritum Sanctum per illos Patres loquutum fuisse. Ergo sentit illorum decreta ante confirmationem fuisse divinae veritatis.

[91] [PROBATUR 6.°] *Sexto, iam rationis nervos contendamus*. Statuamus in primis, quod apud omnes catholicos constantissimum est et divina fide certum, Ecclesiam universalem in fide et moribus errare non posse. Supponamus secundo, Concilium generale legitimum et plenum gaudere eisdem privilegiis et eamdem habere infallibilitatem, ex eadem assistentia Spiritus Sancti, qui illi suggerit omnem veritatem, et praesentia Christi cum Ecclesia sua usque ad consummationem saeculi. Quod ne videar gratis assumere, praeter decretum illud Concilii Constantiensis iam citatum, manifeste probo ex decreto Martini V in interrogationibus postulandis ab his qui ab haeresi revertebantur vel de illa suspectis. Sic enim habet (89): «*item utrum credat, teneat et asserat, quod quodlibet*

(88) HARDUIN, 1, 346 et 419.
(89) HARDUIN, 8, 914.

Concilium generale, et etiam Constantiense, universalem Ecclesiam repraesentet». Ex quibus principiis *sis deduco*. Concilium generale, legitimum et plenum, in fide et moribus errare non potest; sed quod est auctoritate Pontificis ex universo orbe christiano convocatum, et sub praesidentia legatorum et instructione Pontificis procedit, est legitimum et plenum ante confirmationem; ergo est infallibile in fide et moribus decernendis. Tota difficultas est in minori. Quae de Concilio sub illis conditionibus duo asserit: et quod sit legitimum, et quod sit plenum. De primo nullum est dubium; nihil enim aliud requiritur ut sit legitimum quam quae enumeravimus. Nam plenam diligentiam et discussionem, quam plures ex theologis postularunt, pariter supponimus a Concilio adhiberi et observari. Iam ergo probatur quod sit plenum ante confirmationem Pontificis, ex ipsa phrasi et modo loquendi Conciliorum; quae se in illo statu appellant Concilia oecumenica et generalia. Et ne longius testimonia petamus, videre hoc est in Tridentino per omnes sessiones. At si tunc non esset plenum [F. 46] et vere generale Concilium, falso sibi hoc nomen assumeret. Restat ergo quod ex sententia Concilii tunc sit vere plenum et generale.

[92] Dicet fortasse aliquis: est quidem generale, quia ex omnibus christiani orbis partibus convocatur; et hoc dicunt Concilia. Sed nondum est plenum, quia adhuc deficit decretum Pontificis. Sed contra. Primo, in antiquis Patribus plenarium et generale idem prorsus sonant, ut patet ex testimoniis Augustini supra relatis. Secundo, quid aliud significat oecumenicum vel generale, quam quod omnes, quorum interest negotium ibi tractandum, vel adsunt per se, vel per suos legatos, vel sufficienter vocati sunt atque adeo censentur adesse? Sed hoc est esse plenum aut plenarium. Ergo generale et plenum idem sunt. Ergo quando Concilium, v. gr. Tridentinum, statuit se esse oecumenicum vel generale, statuit profecto se esse plenum; atque adeo quod universam Ecclesiam repraesentat; et perinde quod in fide et moribus decernendis regitur ab Spiritu Sancto. Et quidem indubitatum est, Canum et alios auctores secundae sententiae, supra relatae (90), in hoc nobiscum sentire. Nam in eorum sententia, quandocumque omnes prorsus, qui adsunt in Concilio, in decreto conveniunt, tunc integra Ecclesia censetur convenire. Et tamen non adest decretum vel confirmatio Summi Pontificis. Ergo huius defectus non aufert plenitudinem integritatemque generalis Concilii. Iam ergo in hac

(90) Véase supra n. [25].

parte pro nobis sunt Canus et omnes eius asseclae. Quare iam haec solutio nec relata ex Augustino testimonia poterit enervare.

[93] *Secundo*, ostendo, quod, citra (z) decretum Summi Pontificis, Concilium generale sit plenum et integer totius Ecclesiae consensus; et simul probatur principaliter conclusio assumpta. Et prius postulo, an consensus omnium praelatorum Ecclesiae in aliquam veritatem, tamquam in dogma fidei, faceret rem de fide vel, ut magis proprie loquar, ostenderet rem illam esse de fide et revelatam a Deo. Non dubium. Et non loquor de illis in Concilio coactis, sed de omnibus [F. 46v] quidem singulis tamen seorsum, etiamsi Papa de re illa vel nihil curaret, vel nihil proferret, vel pone, si mavis, sedem tunc vacare. Profecto ex illo unanimi consensu res esset de fide. Alias tota Ecclesia errasset; quia, errantibus omnibus praelatis et pastoribus, totam simul plebem errare necesse est, quae illos tenetur sequi et audire. Ergo multo potius, si Pontifex ipse, non iam decernens et definiens pro sua apostolica auctoritate, sed ut particularis quidam praelatus, consentiret in eamdem veritatem tamquam in dogma fidei. Sed quando similis consensus Pontificis accedit sententiae totius Concilii vel maioris partis, accedit consensui omnium praelatorum Ecclesiae, vel idem prorsus est ac si omnium consensui accederet. Ergo sufficiet rem facere de fide sine novo decreto vel confirmatione. Minor probatur, quia consensus Patrum, qui adsunt in Concilio vel maioris partis, eo ipso quod sunt legitime convocati et procedentes, est consensus totius corporis Ecclesiae; et aliunde ponitur consensus illius, qui est caput totius Ecclesiae, quamvis non definientis ut caput; ergo consensus ille est consensus totius et integrae Ecclesiae; ergo facit rem de fide.

[94] Brevius et clarius dicam. Pone Pontificem per se ipsum adesse Concilio et in quaestione proposita sententiam dicere non definiendo auctoritate apostolica, sed ut alium quemvis Patrem Concilii, et quidem post sufficientem rei discussionem. Sit autem eius sententia talem aliquam veritatem esse dogma fidei ab omnibus credendum. Pone ulterius, quod huic sententiae omnes Patres subscribant vel maior pars; quia in proposito, secundum veriorem communemque opinionem, sententia maioris partis sententia totius Concilii iudicatur. Inquiro: talisne unanimis Papae Patrumque consensus ostendet plane et sufficienter illam esse veritatem catholicam et a Deo revelatam? Procul dubio Bellarminus, et si qui sunt

(z) M *circa*

alii auctores tertiae sententiae supra relatae (91), contendent acriter rem illam iam esse de fide sine aliquo alio decreto vel definitione Pontificis. [F. 47] Et mihi id certum apparet. Si enim consensus Patrum Ecclesiae, aliquando sine Papa, aliquando cum ipso, non tamen definiente, sufficit rem facere de fide, ut vidimus, et in casu posito est talis consensus, ut patet ex dictis, ergo ex illo relinquitur veritas illa de fide certa. Ex quo sic ulterius. Quotiescumque Papa in instructione Concilii nihil in tractanda quaestione decernit, sed decretum et definitionen liberam relinquit Concilio, toties suum sensum et peculiare iudicium, ut est quidam particularis doctor, committit Concilio, et suam sententiam refert in sententiam Patrum in Concilio convenientium; atque adeo quidquid illi iudicant esse de fide, et ipse pariter iudicat; ergo in tali casu iam adest consensus totius Ecclesiae, ac per consequens ex illo res est de fide.

[95] Hoc argumentum in sententia Bellarmini efficaciter convincit. Nam ex illo quandocumque Pontifex protulit suam sententiam, licet non definiendo, quod idem est ac dicere quod proferat ut singularis quidam praelatus vel doctor, si quoties hoc modo profert sententiam suam et in illam it Concilium, editum decretum est de fide, quoties particulare suum iudicium committit Concilio, decretum a Concilio editum erit de fide. Quod vero sententiam suam ut particularis doctor possit referre in sententiam Concilii, nemini dubium est. Nam quamvis auctoritatem definiendi ex assistentia Spiritus Sancti nec in legatos nec in Concilium transferre possit, quod ego cum probatissimis theologis verissimum iudico, (quare si aliunde Concilium assistentiam Spiritus Sancti non haberet, ex commissione vel voluntate Pontificis illam non haberet), itaque quantumvis auctoritatem definiendi in Concilium transferre non possit, sed suam sententiam, ut singularis doctor est, potest optime in Concilium transferre vel illi committere, subiciens se illius iudicio et sentiens quidquid omnes vel maior pars senserit. Et hoc fecisse visus est, quoties, nihil ipse iudicans, liberam definitionem reliquit Concilio legitime procedenti. Re[F. 47v] liquum ergo est, quod tunc Concilii decretum faciat rem de fide, quia est consensus totius et integrae Ecclesiae.

[96] Responderi potest, nec in casu posito esse consensum totius Ecclesiae. Quia licet sit consensus Pontificis, ut singularis praelati et doctoris, non tamen ut capitis ex apostolica sua auctoritate definientis. Deficit ergo consensus capitis, ut caput est, ac perinde non est consensus totius

(91) Véase supra n. [26].

Ecclesiae. Sed contra. Ergo consensus praelatorum omnium Ecclesiae citra definitionem Pontificis auctoritate apostolica et ex assistentia Spiritus Sancti, non sufficit facere rem de fide. Consequens est contra omnes theologos, qui, enumerantes fidei regulas, consensum omnium pastorum assignant ut regulam distinctam a definitione Pontificis. Sequitur ergo, consensum illum sine definitione Pontificis, ut caput est, sufficere ut veritas aliqua sit de fide.

[97] Sed contra obicies, ergo iam duae regulae fidei a nobis confunduntur, consensus videlicet praelatorum et definitio Concilii. Respondeo negando consequentiam. Supersunt enim distinctissime. Quod vel ex eo licet inspicere, quia extra Concilium consensus ille non est sufficiens regula fidei, nisi sit consensus omnium prorsus. Nam si quidam affirment, etiam plures, alii tamen orthodoxi negent, nondum res illa est constans in fide. Tamen quando adsunt in Concilio consensus, vel eorum qui adsunt, vel maioris partis, est infallibilis regula fidei. Quia cum illi legitime congregati et procedentes totam Ecclesiam repraesentent, consensus illorum totius Ecclesiae consensus vere est et censetur.

[98] Et hinc ulterius, facile est intelligere, quare dicatur Concilium generale totam Ecclesiam repraesentare. Cum enim de suborta aliqua nova et implicata quaestione difficile esset omnes singillatim praelatos et pastores Ecclesiae in eamdem veritatem tamquam in dogma convenire, Deus, qui dilectae suae Sponsae non solum sufficienter sed abundantissime providit, instituit [F. 48] ut, dum pastores Ecclesiae convenirent, si non omnes, multi saltem, reliquis convocatis, tota simul Ecclesia censeretur adesse. Et inde ille, qui cum Ecclesia sua manet usque in consummationem saeculi, et effudit in illam Spiritum veritatis, qui omnem illi suggerat veritatem, ut illam in fide et moribus errare non sinat, ille promisit suam assistentiam in illo conventu Patrum, ut in fide et moribus decernendis errare non possint. Ex hac ergo institutione cognovimus, in conventu Patrum totam ecclesiam repraesentari. Quam Dei institutionem ex facto et verbis Apostolorum desumimus, Act. 15 [22]. Nam cum Apostoli et seniores adessent, qui convocari cogique potuerunt, conventus ille appellatur omnis Ecclesia: *tunc placuit Apostolis et senioribus, cum omni Ecclesia.* Non erat sane omnis Ecclesia, quia omnes fideles, vel saltem omnes prorsus pastores, adessent; sed quia in illis, qui aderant, tota Ecclesia repraesentabatur. Et tamen ille idem conventus protulit: *visum est Spiritui Sancto et nobis* [Act 15, 28]. Ergo conventus Patrum, eo ipso quod sufficienter repraesentat universalem Ecclesiam, habet assistentiam Spiritus Sancti, ac perinde infallibilitatem in iudicando.

[99] Dices: tunc aderat Petrus, qui erat caput Ecclesiae; et ex sententia et decreto illius, Concilii sententia fuit infallibilis, qualis Petro absente vel sine eius decreto non esset. Sed contra. Aderat tunc Petrus, qui erat caput Ecclesiae, fateor; et quod ibi suum capitis munus exercuerit, nempe reliquos convocans, quaestionem ad se delatam discutiendam dirimendamque proponens, et primus inter omnes sententiam dicens. Unde tamen constat quod, dum illam protulit, sua apostolica auctoritate ut caput definivit, et non quod ut Paulus et Iacobus et alii, qui aderant, sententiam dixit, quantum ex Scripturis susceptisque revelationibus et iis quae contigisse viderat intelligebatur? Haud sane ullum verbum est in toto illo capite, ex quo id efficaciter colligatur. Immo potius oppositum innui videtur ex subiuncto verbo Iacobi: *ego iudico* etc. Quid enim iudicaret, quod ex definitione Petri a Deo statutum certo agnoverat? Improprie [F. 48v] ergo diceret *ego iudico,* quod iam erat iudicatum et determinatum; sed ego suscipio et amplector, quod Petrus iudicavit et definivit sua auctoritate, ut caput nostrum. Addo, quod non solum dixit *iudico,* sed probationem et fundamenta sententiae suae ex Scripturis proposuit. Igitur dum dixit *iudico,* non leviter iudicavit nondum esse terminatum quaestionis iudicium. Verum est fuisse Petrum in sententia dicenda divino afflatum Spiritu. Sed fuit pariter afflatus Iacobus; et alii, qui eamdem veritatem definierunt. Sed id contendo, iudicium non fuisse terminatum et rem effectam de fide ex sola Petri sententia, sed ex sententia totius Concilii, ex qua postea scripserunt: *visum est Spiritui Sancto et nobis.* Ubi iterum pondero, non dixisse visum est Spiritui Sancto et Petro, sed *Spiritui Sancto et nobis*; ex communi ergo calculo cognoverunt sibi iudicantibus affuisse Spiritum Sanctum, non ex solius Petri sententia, nec illi soli iudicanti astitisse.

[100] Ex quibus *tertio colligitur ratio a priori statutae positionis.* Illa est Dei promissio et institutio. Promisit Deus Ecclesiae suae instructionem de omni veritate, Io 14 [26] et 16 [13]. Instituit ut eadem Ecclesia sufficienter repraesentaretur in conventu generali: *tunc placuit Apostolis et senioribus cum omni Ecclesia* (Act. 15 [22]). Et ipsi conventui, Ecclesiam legitime repraesentanti, ipsi Apostoli, divinitus inspirati, intellexerunt Spiritum Sanctum assistere, dum protulerunt: *visum est Spiritui Sancto et nobis* (in eodem capite). Haec certa fide constant. Quod vero Petrus definiens ut caput sententiam dixerit, non constat; quin potius oppositum non utcumque indicatur, ut supra deductum est. Restat ergo, quod assistentia Spiritus Sancti in Concilio, quod universalem Ecclesiam

repraesentat, non dependeat ex decreto vel confirmatione Romani Pontificis, Petri in primatu successoris.

[101] Dices: in decreto illo Concilii *visum est Spiritui Sancto et nobis,* decrevit Petrus, et ut caput Ecclesiae, et inde habuit infallibilitatem. Sed contra. Primo, illud decretum non est Petri, sed totius Concilii, ut patet ex illius verbis: *visum est Spiritui Sancto et nobis.* Praeterea secundo, [F. 48 bis] quid si Petrus abiret ex Concilio, antequam formaretur decretum? Nonne posset Concilium dicere, et vere, *visum est Spiritui Sancto et nobis?* Non dubium. Ergo infallibilitas illius decreti non pendebat ex decreto simultaneo Petri, ut capitis. Tertio, expendo verbum illud *visum est.* Ponitur enim de praeterito; ergo antequam formaretur decretum, visum erat Spiritui Sancto et Patribus Concilii; ergo iam illi Concilio decernenti affuerat Spiritus Sanctus; ergo iam erat infallibilis veritatis illius definitio; ergo infallibilitas illius non pendebat ex decreto Petri, tamquam capitis, quod edidit simul cum aliis praesentibus in Concilio.

[102] *Quarto,* episcopi iure divino habent suffragium decisivum in causis fidei et morum in Concilio generali; ergo sententia ab illis lata in praedictis causis est ab omnibus tenenda ex Dei voluntate et institutione, qui tale contulit illis ius decidendi. Consequentia tenet. Nam alias frustra Deus illis contulisset ius decidendi, si illorum decisionem nollet observari; et e contra, eo ipso quod illis tribuit ius decidendi, voluit eorum decretum ab omnibus observari. Tunc sic: sed si episcopi decernant aliquid esse credendum vel faciendum, et revera tale non esset, tota Ecclesia necessario erraret; ergo ut Ecclesia errare non possit necesse est quod Deus, qui episcopis contulit ius decidendi, illis assistat ut errare non possint; atque adeo eorum definitio est infallibilis. Tota difficultas est in primo antecedenti assumpto. Sed illud est communis auctorum sententia. Ita Victoria, Dominicus Soto, Corduba, Aragon locis supra citatis (92). Stanilaus Hosius, in Confessione catholica cap. 24 (93) paragrapho «quid dicis, Veremunde», affirmat in hoc convenire haereticos et catholicos, quod episcopis iure divino competit de rebus fidei iudicare. Bellarminus lib. 1 de Conciliis et Ecclesia cap. 15 et 18 (94), Turrecremata lib. 3 citato cap. 12 ratione 3.ª et cap. 14 (95). Indicant, quamvis non ita clare affirment:

(92) Véase supra n. [36], [38], [40], [54].
(93) ST. HOSIUS, *Confessio catholicae fidei christianae* cp. 24 fol. 22v-23r.
(94) S. ROBERTUS BELLARMINUS, *De Conciliis et Ecclesia* lib. 1 cp. 15 n. 4; cp. 18 n. 5.
(95) I. DE TORQUEMADA, *Summa de Ecclesia* lib. 3 cp. 12 et 14.

Antonius Posevinus contra secundum theorema militis galli Nuae Domini (96); Salmeron t. 12 tr. 43 ad illa verba Act 15 [6] *convenerunt Apostoli et seniores videre de verbo hoc* et sequentibus (97); Báñez [F. 48v bis] ubi supra (98); et Petrus de Bollo paragrapho illo 15 citato (99), in adnotatione marginis ad versum «secundum circa provinciale», ubi multa ad hoc congerit; et plura Bellarminus lib. 1 citato capite illo 15 (100). Et nobis in praesentia duo sufficiant argumenta ad id probandum. Alterum ab auctoritate: nam Act 15 [19], in illo Concilio Apostolorum, Iacobus dixit: *ego iudico* etc; quod verbum satis indicat illum habuisse ius decidendi et decernendi. Et hinc etiam Act 15 et 16 decreta illius Concilii dicuntur decreta vel dogmata Apostolorum et seniorum. Alterum sit a ratione: quia, cum Deus instituerit in sua Ecclesia Concilia et conventus fieri ad causas fidei et morum decernendas in illisque episcopos cogi, vel voluit illos habere suffragium decisivum vel consultivum; non secundum, alias potius instituerat quod vocarentur peritissimi ex theologis, cum saepe contingat episcopos parum in his rebus esse versatos; ergo tribuit illis suffragium decisivum; ergo decrevit illis assistere in definiendo, ne errarent, et cum illis tota Ecclesia.

[103] Respondent adhuc nonnulli, quod licet habeant ius decisivum, non tamen assistentiam Spiritus Sancti; quia ultimam quaestionum decisionem reliquit Petro et eius successoribus; et ita potest Romanus Pontifex eorum decreta vel confirmare vel retractare. Sed certe hoc est in re gravissima divinare. Si enim semel admittant iure divino episcopos habere suffragium decisivum, qualiter cum hoc stat quod possit retractari? vel qualis est decisio, quae nullam habet firmitatem nisi a Pontifice Romano mutuatam? Certe hoc nihil aliud est, quam decisivum suffragium confundere cum consultivo. Et quidem, si illud ius decidendi esset dependens a iure humano Pontificis, non mirum quod, ita conferret facultatem decidendi, quod decreti firmitatem sibi reservaret; ut rex cum illis quos eligit sibi consiliarios. Tamen cum ius illud episcoporum fateantur a Deo esse profectum, minus bene cohaerent quod illud suffragium sit decisivum et eius firmitas dependeat a decreto Pontificis. Quare Valentia, ubi

---

(96) A. POSSEVINO, *Iudicium de Nuae militis galli scriptis, quae ille Discursus Politicos et Militares inscripsit* (Romae 1592). Se refiere a la obra de FRANCISCO DE LA NOUE, *Discours politiques et militaires* (Gèneve 1587).

(97) A. SALMERÓN, *Commentarii in Evangeliorum historiam et in Acta Apostolorum* t. 12 tr. 43 p. 365ss.

(98) D. BÁÑEZ, *In* 2.2 q. 1 a. 10.

(99) P. DE BOLLO, *Oeconomia canonica* cl. 3 par. 15.

(100) S. ROBERTUS BELLARMINUS, *De Conciliis et Ecclesia* lib. 1 cp. 15.

supra (101), paragrapho «quod si propterea», non moratur concedere [F. 49] suffragium episcoporum esse consultivum; quod alii refugiunt auctores. Denique ad hominem: isti fatentur suffragium episcoporum esse decisivum iure divino; quod vero sit dependens a decreto Pontificis nullo probant efficaci argumento; cum autem hoc totum sit ex institutione et voluntate Christi, nihil leviter asserendum est sine sufficienti fundamento.

[104] *Quinto principaliter probatur statuta conclusio,* quia illa maxime pertinet ad dignitatem Pontificis. Nam mire profecto illam commendat, quod Deus haec Ecclesiae generalia comitia instituerit, ita dependentia, quoad infallibilitatem suam, ab obaedientia Romani Pontificis, quod sine illius voluntate cogi non possint, et quod, in quavis parte ab eius instructione deflectant, iam non sint legitima, nec habeant assistentiam Spiritus Sancti. Maius enim est, quod illis, qui instructionem Papae non excesserint, promiserit Deus suam assistentiam in iudicando, atque adeo dependenter ab illo et quasi in dignitatem et honorem eius, quam quod soli ipsi Papae illam promiserit; hoc asserit nostra conclusio; ergo.

[105] [CONTRA SECUNDAM SENTENTIAM.] *Iam vero peculiariter contra Cani et sequatium sententiam aliquid adiciam.* Illis quidem assentior in eo, quod, si omnes Patres Concilii conveniant, eorum definitio sit infallibilis, ut supra dictum est. In eo tamen decipiuntur, quod existimant sententiam maioris partis non hebere eamdem infallibilitatem. Quod priusquam probem, praemitto nusquam hactenus contigisse, nec vero moraliter loquendo contingere potest, quod pars definiens in Concilio, uno tantum aut altero suffragio excedat, sed notabili numero. Quod et ex gestis Conciliorum generalium facile est deprehendere, et quod hactenus contigit credendum est in posterum processurum, et ex eo etiam quia, cum veritas, quae definitur, non reveletur de novo, sed vel per traditionem, vel per debitam intelligentiam Scripturarum, vel per necessariam ex illis vel praecedentibus definitionibus consecutionem deducatur, fieri non potest, quod talis veritas communiter ab Ecclesiae Patribus et provectioribus [F. 49v] theologis, qui Concilio intersunt, non cognoscatur. Quando ergo pauci aliqui definiunt, certissimum esse videtur illam esse sententiam Concilii, ac per consequens habere eamdem infallibilitatem, ac si omnes prorsus convenirent. Unde de definitione Nicaeni Concilii nihil est dubitatum quia pauci quidam, septem videlicet, non subscripserunt;

(101) G. DE VALENTIA, *Analysis fidei catholicae* lib. 8 cp. 7 p. 115.

vel octodecim, si illos reiciamus qui ficte subscripsisse referuntur; sed eadem prorsus certitudine recepta est, ac si nemine discrepante fuisset prolata et in aliis Conciliis pariter contigit.

[106] Adde, quia alias negatio aliorum, qui ad Concilium non acceserunt, tribueret infallibilitatem. Nam in secundo Concilio generali Constantinopolitano I, sub Damaso celebrato, tantummodo centum et quinquaginta Patres interfuere, in Concilio vero Chalcedonensi sexcenti et triginta. Si in hoc, trecenti convenissent, inquiro, sententia illorum esset aequalis ponderis et infallibilitatis cum sententia centum quinquaginta? Certe, si numerum attendas, est duplo maior; et forte, si Constantinopoli tunc plures alii convenissent, aliqui repugnassent sententiae eorum qui adfuerunt. Ergo ex eo solum, quod alii non accesserunt, illorum sententia qui decreverunt reddita est infallibilis. Dicent non ideo esse, sed quia omnes prorsus convenerunt, ille fuit consensus totius Ecclesiae. Sed insto, quare sententia Concilii, etiamsi non unanimis, non iudicatur consensus totius Ecclesiae? Certe, maioris partis iudicium totius Concilii iudicium censeri, constantissimum est. Sic Turrecremata cap. 65 (102), Bellarminus lib. 2 capite 11 citato (103), et communiter omnes. Sumiturque aperte ex Concilio Lateranensi sub Innocentio: refertur cap. [*cum*] *in cunctis*, de iis quae fiunt a maiori parte capituli (104). Et in Concilio IV Toletano (105) sic habetur: «*cum quaelibet Synodus agitur, aut pacifice inter Pontifices quidpiam definitur, si pauciores per contentionem aut nescientiam forte dissentiunt, aut commoniti plurium sententiam cedant, aut ab eorum coetu cum dedecore et confusione abscedant, aut excommunicationis annuae luant poenam*». Cum ergo habeamus sententiam maioris partis esse [F. 50] sententiam Concilii, et aliunde Concilium in decernendo habere assistentiam Spiritus Sancti, nescio quo sufficienti fundamento possit haec assistentia restringi ad unanimem consensum omnium qui adsunt.

[106] Denique pro hac veritate non leve desumo argumentum ex Concilio Tridentino. Nam Andreas Vega, qui illi interfuit, lib. I in idem Concilium cap. 5 (106) paragrapho «et cum Deus», refert, quod, licet in decreto de iustificatione omnes convenerint, non tamen in aliis. Et ni-

---

(102) I. DE TORQUEMADA, *Summa de Ecclesia* lib. 3 cp. 65.
(103) S. ROBERTUS BELLARMINUS, *De Conciliis et Ecclesia* lib. 2 cp. 11 n. 10.
(104) CIC Decr. Greg. III, 11, 1 (RICHTER 2, 488).
(105) *Collectio Canonum Ecclesiae Hispanae* (Matriti 1808) 366: ML 84, 366.
(106) A. VEGA, *De iustificatione doctrina universa lib.* 1 cp. 5 fol. 10.

hilominus idem Concilium, sessione ultima, in acclamationibus, omnia decreta aeque credit fide divina. Ergo consequens est, de mente Concilii nihil obesse infallibilitati decretorum, quod aliqui dissenserint. Ex quibus restat, quod in Concilio universali sententia maioris partis, etiamsi fingam uno tantum suffragio excedere, haberi potest et debet ut infallibilis et dictata ab Spiritu Sancto.

[107] [CONTRA TERTIAM SENTENTIAM.] *Contra tertiam sententiam, ex Bellarmino relatam,* id acriter urget: quod sententia Papae, quandocumque non definit ut caput Ecclesiae, non habet infallibilitatem, sicut nec certam et indubitatam assistentiam Spiritus Sancti; ergo ex ista sententia Pontificis non definientis non potest praestari Concilio infallibilitas et certitudo fidei; sed illam habet aliquando Concilium sine definitione Pontificis, ex sententia istius auctoris; ergo aliunde habet quam ex definitione Pontificis, nempe ex assistentia Spiritus Sancti; et ita est. Sed tunc rogo, quare in isto casu affirmat Concilio promissam esse assistentiam Spiritus Sancti, videlicet quando cum sententia Concilii simul concurrit sententia Pontificis, licet non definitiva, et non ita in reliquis? Utique nullum istius positionis firmum fundamentum adduci potest; quod ex dictis planum ut credo relinquitur, praesertim cum iam ostenderim, quod quandocumque Pontifex in instructione liberam relinquit Concilio definitionem, visus est suam sententiam particularem et non definitivam Concilio committere, atque adeo quod, semper quod Concilium legitime procedit, concurrunt sententiae Papae non definitiva et Patrum, qui adsunt in Concilio; ac perinde ille est consensus (a) totius Ecclesiae.

[108] Attamen, quidquid sit de veritate huius nostrae pasitionis, quam, ut conicio, non segniter ostendi, enitendum est planum facere illam esse [F. 50v] *ab omni nota et suspicione liberam*; quod, Deo dante efficacibus mediis demonstrabo. *Primo* faciunt omnia, quae pro eius veritate adducta sunt. Secundo, ipsa opinionum varietas. *Tertio,* quod nemo illam hactenus notavit, nisi forte Turrecremata capite illo 32 (107), qui tamen nec sibi constat, ut iam vidimus, nec in tali censura socium habuit vel sequacem. *Addo*: nemo hactenus, nec ex antiquis, nec ex recentioribus, oppositam sententiam statuit nec ut de fide certam, nec in aliquo gradu certitudinis, nisi ut plurimum probabilis opinionis. Ergo undique constat statutam conclusionem nostram nulla nota posse iuste censeri. Utraque

(a) M *consensum*

(107) I. DE TORQUEMADA, *Summa de Ecclesia* lib. 3 cp. 32.

pars antecedentis ex dictis est manifesta. *Ultimo* a priori id potest demonstrari per singulas notas discurrendo. Nec enim est haeretica, nec erronea, nec sapiens haeresim, nec scandalosa, nec temeraria, nec piarum aurium offensiva, nec occassionem tribuens errori, nec singularis; ergo nulla prorsus nota potest illi aptari. Iniuriam sane irrogare videor theologo nomini, si antecedens probo singillatim per suas partes, si quidem sententiam istam tam firmis innixam fundamentis omnium oculis subieci. Nihilominus tamen breviter singulos gradus percurram, attingens potius quam persequens. Quod non sit haeretica patet, quia oppositum non est de fide; quod est luce clarius. Nec erronea, quia oppositum ex fide non consequitur necessario; quod evidens est et adhuc patebit amplius ex solutione argumentorum. Nec sapiens haeresim, quomodocumque hic gradus accipiatur, quia nec odorem efflat erroris, nec ex una de fide et altera moraliter certa colligitur per necessariam consequentiam; quod etiam nemo infitias ibit. Nec scandalosa; quod enim scandalum pariet quod est inter theologos receptissimum, quod et a contrariis iudicatur probabile, et Scriptura, Conciliis et Patribus firmiter roboratur, ut constat ex dictis? Et inde etiam patet, non esse temerariam. Nec vero est piarum aurium offensiva; nam quem hactenus ex theologis offendit? aut quem offendat, quod Dei pietatem, providentiam Romani Pontificis et Ecclesiae dignitatem mire commendat? Praesertim [F. 51] cum id tot tantisque fulciatur documentis. Ex eisdem principiis planum est, nec hanc sententiam occasionem tribuere errori, nec singularem esse, quae tot tantorumque communi calculo comprobatur.

[109] [SOLUTIO OBIECTIONUM.] *Superest iam diluere argumenta in oppositum.* Et ut nihil intactum relinquam, *ad Almaynum respondeo* illum esse longe alterius sententiae. Mens illius patebit ex dicendis in solutione ad testimoninum Damasi in 1.° argumento.

[110] *Ad S. Thomam* (108) *respondeo*, mentem eius esse, quod omnes fideles non tenentur credere decreta in Conciliis, nisi per auctoritatem Pontificis ad id obligentur. Quod sic intellige: quia indubitata assistentia Spiritus Sancti in Conciliis generalibus ad res fidei et morum decernendas dependet, tamquam a condicione omnino necessaria, ex eo quod Cocilium sit convocatum auctoritate Romani Pontificis et sub eius obaedientia et instructione procedat; quod autem haec omnia observata sint ut par est, non possunt omnes fideles certificari sufficienter, nisi vel per

(108) Véase supra n. [13].

confirmationem Summi Pontificis diplomate ad id expedito in publica forma, vel per manifestum indubitatumque consensum eiusdem Pontificis (siquidem et in legatis et in reliquis Patribus Concilii potuit in hac conditione observanda esse defectus); ad hoc ergo est necessaria auctoritas Summi Pontificis, non ut decreta in se sint infallibilia es dictata ab Spiritu Sancto (quia talia sunt ex eo quod conditio illa necessaria sit in re exhibita), sed ut omnes convenienter certificentur illam impletam fuisse, atque adeo quod Concilium decrevit esse ex assistentia Spiritus Sancti. Et ideo Angelicus Doctor non dixit ut editio Symboli vel definitio sit de fide, sed *ut ab omnibus inconcussa fide teneantur*, id est omnes prorsus obligentur ad credendum. Et hoc est quod supra notavi in Michaele Palacios dum eius sententiam pertractarem (109). Ex quibus optime addidit S. Thomas illam exclusivam: *ideo ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet* etc.; quia per solam approbationem et confirmationem illius certificantur fideles de legitima convocatione et processu [F. 51v] Concilii, atque adeo quod decreverit per assistentiam Spiritus Sancti. Et hanc esse mentem S. Thomae, constat. Primo, quia eius ratio hoc tantum probat, videlicet quod alias non possint sufficienter vitari schismata et divisiones in fide, nisi quidquid determinetur pertinens ad fidem vel mores sit per auctoritatem Romani Pontificis, nempe saltem convocantis instruentisque Concilium. Secundo, quia potissimi ex Thomistis, ut Vitoria, Canus, uterque Sotus et alii, sic etiam exponunt, quandoquidem admittunt decretum Concilii generalis esse infallibile ante confirmationem Romani Pontificis, vel absolute, vel saltem in casu quod omnes Patres Concilii conveniant; in quo tenentur eodem modo exponere Divum Thomam.

[111] Ad secundum testimonium illius, primo assumo, quod paulo ante praemiserat in haec verba: «*quod ergo primo obicitur, quod Romanae Sedis auctoritas non potest aliquid condere vel mutare contra statuta Sanctorum Patrum, dicendum, quod verum est in illis quae statuta Sanctorum Patrum determinaverunt esse de iure divino, sicut articuli fidei qui determinati sunt per Concilia*». Ecce aperte docet, non posse mutare Papam statuta Sanctorum Patrum in rebus fidei; at si statutorum infallibilitas dependet a confirmatione Romani Pontificis utique posset mutare, immo et illa irritare ut dicunt auctores oppositae sententiae. Dices: intelligit S. Thomas, postquam statuta sunt confirmata per Pontificem. Sed contra. Hic sensus nequit colligi ex verbis Divi Thomae. Immo, si

(109) Véase supra n. [45].

illum admittamus, improprie appellaret illa statuta Patrum, sed statuta Summi Pontificis, siquidem ab illo habuerunt vigorem. Praeterea, in verbis obiectis in argumento apertissime exposuit Divus Thomas suam sententiam et quaestionis veritatem. Nam inquit: *Sancti Patres in Conciliis nihil statuere possunt, nisi interveniente auctoritate Romani Pontificis.* Non dixit subsequente, confirmante vel approbante, sed interveniente. At iuxta usitatum morem celebrandi Concilia, testimonium Divi Thomae tunc intervenit, quando non exceditur ab instructione [F. 51 bis], praesupposita iam legitima convocatione. Et hoc est proprissime intervenire. quia in ipsis statutis et determinationibus involvitur et implicat auctoritas Summi Pontificis, quandoquidem eius observatur instructio et ex ista observatione dependet assistentia Spiritus Sancti, tamquam ex conditione necessaria. Ex quibus manifestum superest Divum Thomam nihil contra nostram docuisse sententiam, sed potius pro nobis pugnare.

[112] *Iam ad argumenta. Ad primum* ex decretali Iulii (110) *respondeo*: si expendatur vis illius verbi *fultum* evacuata est difficultas. Nam *fulcio* hispane idem significat ac si dicatur *apoyo, sustento.* Verissimum igitur est non esse rata Concilia nisi fulta auctoritate Romani Pontificis; quia eius convocationi et observatae instructioni necessario innituntur, quia haec, ut diximus, est prorsus necessaria conditio ad assistentiam Spiritus Sancti. Non ergo postulat Iulius confirmationem ut rata sint decreta Concilii; sed praeter convocationem legitimam, observatam instructionem. Idem fere est sensus Damasi et adhuc clarior. Nam ibi sermo est de quodam Concilio Africano, in quo nonnulli episcopi inconsulto Romano Pontifice damnati sunt. De quibus Conciliis dicit rata non fuisse, nisi fulta sint Romani Pontificis auctoritate, id est nisi speciale ad id mandatum habuerint, nempe ad definitive dirimendam causam episcopi et illum sua ecclesia privandum. Immo ex hoc testimonio res est clarior. Nam damnatio episcopi non exigit necessario decretum personale Pontificis sed potest per speciale rescriptum eius causa ab aliis tractari et definitive terminari. Ergo quod dixit *fulta* idem est ac si diceret speciali mandato et commissioni innixa. Ergo similiter quando dixit Iulius non esse ratum nisi Papae auctoritate fultum, id est nisi innitatur speciali mandato et instructioni ad procedendum in causa fidei vel morum et illam ultimo terminandam.

---

(110) Véase supra n. [14].

[113] Quod si quis in Isidoro in secundo testimonio ex illo supra relato (111) illud verbum *fulta* in hunc sensum intelligat, in quo modo [F. 51v bis] exposuimus Iulium et Damasum, nihil enervatur auctoritas Isidori. Nam liquidum restat, quod quando dixit congregata vel fulta, illa duo quasi synonima usurpavit, et ideo disiunctive protulit. Quia non intelligitur perfecta et absoluta congregatio Concilii facta a Papa, nisi in illo praesint legati eiusdem Pontificis, cum debita instructione, cui innitatur et qua fulciatur Concilium. Atque adeo nihil aliud requirit Isidorus, ut Concilii decreta sint infallibilia.

[114] Ad caput *significasti* de electione (112), primo idem potest sensus aptari. Secundo, est sermo de iure optimo. Nam causabatur Archiepiscopus panormitanus, quod a se, ut pallium reciperet, iuramentum exigebatur de obaedientia semper praestanda Romanae Sedi; cum tale iuramentum nullo Conciliorum canone praeciperetur. Cui Paschalis Papa respondit, quod Concilia per auctoritatem Romani Pontificis facta sunt et robur acceperunt. Intelligendus est circa subiectam materiam, scilicet leges positivas sanciendas. Quia illas solum condere potest [Concilium] commissione et voluntate Pontificis; et iam quod stabilitae sint, semper subsunt voluntati eiusdem Pontificis, qui potest illas abrogare sicut et a se latas, ut optime docuit Divus Thomas in opusculo citato capite illo quarto (113).

[115] De eadem re sermo erat apud Gelasium tomo de anathematis vinculo (114). Cum enim obicerent, qui erant ex parte Acatii, vel nihil ratum esse in Concilio Chalcedonensi, vel omnia ibi constituta pariter rata haberi debere, ad initium tomi illius explicuit vitium illius decreti de praeferendo antistite Constantinopolitano aliis Patriarchis (de quo erat difficultas); scilicet editum fuisse sine commissione Romani Pontificis et contradicentibus eius legatis; ideo nec ab illo approbatum, etiam petente Martino Augusto. Et inde postea non longe a medio subiecit: «*totumque (ut dictum est) in Sedis Apostolicae est potestate. Ita quod firmavit in Synodo Sedes Apostolica hoc robur obtinuit; quod refutavit, habere non potuit*». Constat itaque ex subiecta materia ibi con[F. 52]troversiam esse de iure positivo, de praelatione videlicet antistitis Constantinopolitani,

---

(111) Véase supra n. [89].
(112) Véase supra n. [14].
(113) S. THOMAS, *Contra impugnantes Dei cultum et religionem* lib. 2 cp. 23 (Parisiis 1876) t. 29 p. 33.
(114) PSISIDORUS, *Collectio Decretalium:* ML 130, 947ss. Las palabras citadas están en la col. 951.

quae nec ad fidem nec ad mores attinet universalis Ecclesiae. Quam, etiamsi illud decretum latum fuisset cum commissione Romani Pontificis, posset illud irritare nec robur obtinere. Quanto minus cum prolatum esset sine commissione Pontificis et contra canones Concilii Nicaeni. Et ulterius illa verba *quod firmavit in Synodo robur obtinuit*, ostendo quod absolute non possint intelligi in eum sensum, ut nulla definitio illius Synodi firma esset et infallibilis nisi per subsequutam confirmationem Leonis. Nam praecesserat decretum Leonis de veritate catholica ibi prolata contra Euthychetem; ergo ex illo definitio Concilii erat de fide, sine subsequenti confirmatione in omni sententia.

[116] In epistola vero ad episcopos Dardaniae (115) contendebat idem Pontifex Gelasius, ad damnandos illos, qui in aliquem errorem per Concilia damnatum inciderant, non esse necessarium novum Concilium. Quod cum statuisset, subiecit: «*uniuscuiusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiae probavit assensus, nullam magis exequi sedem prae ceteris oportere, quam primam; quae et unamquamque Synodum et sua auctoritate confirmat et continuata moderatione custodit*». *Quod universalis*, inquit, *Ecclesiae probavit assensus*. Non ergo postulat confirmationem ad firmitatem decreti, quo haeresis damnetur a Concilio generali; siquidem et ab ipsa prima sede dixit observari debere. Quando ergo adiecit quod *prima sedes unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat*, intelligit convocando et instruendo; ne sibi sit in paucissimis verbis contrarius.

[117] At cum in Synodo Romana sub Symmacho, et refertur in cap. *bene quidem* 96 d. (116), Eulalius episcopus Syracusanus dixit, quod Romanus praesul consuevit statutis synodalibus tribuere firmitatem, attendat legens primo quod haec non fuit sententia Concilii, sed ratio, qua ille episcopus usus est ad probandum constitutionem [F. 52v] Basilii praefecti praetorio, in eadem Synodo relatam, irritam esse et nullam; qua cavebatur ne quis Papa in posterum bona immobilia Ecclesiae alienaret; quodsi attentaret alienatio, viribus careret. Ut ergo probaret Eulalius relatam constitutionem Basilii irritam esse hoc argumento usus est: si Concilia provincialia, sine Metropolitani auctoritate celebrata, irrita sunt ex decreto Patrum, quanto potius irrita erit constitutio a laico edita contra Papam in ipsa urbe Romana, et Papa non consentiente, qui statutis synodalibus consuevit tribuere firmitatem, etiamsi aliqui episcopi cum

(115) Véase supra n. [14]. CIC Decr. II, 25, 1, 1 (RICHTER 1, 872).
(116) Véase supra n. [14].

praedicto Basilio ad illam proferendam constitutionem convenerint. Unde, precor, ex his verbis Eulalii colligitur decretum Concilii generalis in fide et moribus sine definitione Papae non esse infallibile?

[118] Ex quibus facile intellegitur Aymarus relatus a Turrecremata (117): «*non mireris*, inquit, *quod ipsorum Conciliorum auctoritatem Romano Pontifici ascribamus; nam nulla Concilia rata leguntur, quae Apostolica auctoritate fulta non fuerint, ut Beatus Damasus Papa in decretis suis*»; et alia adiungit testimonia ex Iulio, Concilioque Nicaeno et Athanasio, quae inter arguendum obiecta sunt, et tantum de convocatione et instructione, non vero de confirmatione procedunt.

[119] *Ad secundum* (118) *respondeo*, quod idem, qui dixit Petro: *pasce oves meas;* per eumdem Petrum dixit reliquis episcopis: *pascite eum qui in vobis est gregem;* et per Paulum *in quo vos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei.* Et utrumque est de fide certum, et optime conveniunt. Nam Petrus est supremus pastor, qui per se ipsum pascere potest universam Ecclesiam, illam docendo in fide et moribus ex assistentia, quam habet Spiritus Sancti; reliqui vero subsunt Petro et illius successoribus, per quos legitime vocati, et sub eorum obaedientia et instructione procedentes, in Concilio possunt pascere et pascunt eamdem Ecclesiam, quid credendum et quid faciendum sit praescribentes, ex promissa sibi etiam assistentia Spiritus Sancti. Et in hoc maxime agnoscitur suprema potestas Romani Pontificis, quod ipse potest credenda et facienda [F. 53] definire sine dependentia a Concilio, Concilium vero non potest sine dependentia a Pontifice. Quia assistentia Spiritus Sancti non est promissa nisi vero Concilio; quale solum est per auctoritatem Romani Pontificis convocatum et sub eius obaedientia procedens.

[120] *Ad tertium* (119), quod ex duplici analogia petitum est, singillatim respondeo. Ad primam, quod analogia corporis humani ad mysticum non est in omnibus eadem proportione intelligenda. Alias Papa, qui est caput Ecclesiae, esset pars eius inferior in potestate et iurisdictione, iuxta illud vulgatum principium *totum est maius sua parte;* et tamen falsum est in proposito, quia potestas et iurisdictio Papae superior est toti Ecclesiae. Pariter ergo non est sic accipienda comparatio, quod sicut multitudo sensum ministrantium intellectui soli inest capiti in naturalibus, et inde

(117) Véase supra n. [12].
(118) Véase supra n. [15].
(119) Véase supra n. [16].

dicimus in solo capite esse directionem et iudicium, sic etiam accipiamus quod cognitio et iudicium infallibile in spiritualibus dumtaxat sit in Romano Pontifice. Est quidem in illo, et etiam in maioribus praelatis in Concilio congregatis; sed in illo potissime, quia absolute et independenter; in reliquis vero dependenter ab eius obaedientia, directione et instructione, ut saepe dictum est.

[121] Secunda similitudo ex saeculari republica, pro nobis faceret, si posset in proposito parificari cum monarchia Ecclesiae. Quia non dubium, quin in publicis comitiis posset leges condere, per illas dirigere et coercere, si ad hoc haberet plenam commissionem regis. Et ratio est, quia rex potestatem, quam habet et ab ipsa multitudine accepit, potest in comitia vel aliquas alias personas transferre, vel ad unum, vel ad plures actus. At in monarchia Ecclesiae Papa non accepit potestatem et iurisdictionem, quam habet, a multitudine, sed immediate a Christo; nec vero assistentiam Spiritus Sancti sibi promissam, potest in alium vel in alios transferre; quod mihi videtur certum. Tamen idem Christus, qui suam et divini Spiritus assistentiam promisit Papae, ut dirigens Ecclesiam in fide et moribus errare non posset, eamdem assistentiam promisit Concilio legitime congregato et iuxta Papae instructionem [F. 53v] procedenti, in eisdem causis fidei et morum. Quam promissionem ex omnibus, quae pro nostra conclusione adducta sunt, iure desumimus.

[122] *Ad quartum* (120), distinguenda est illa maior assumpta: *illius solius est infallibiliter iudicare, cuius est suprema potestas.* Si intelligatur de suprema potestate iurisdictionis, absoluta scilicet et independenti, maior est falsa; nam infallibilitas iudicii solum pendet ex assistentia Spiritus Sancti, et haec non est promissa soli Papae, cui data est illa suprema potestas iurisdictionis, sed etiam Concilio legitime convocato et procedenti, ut probatum est. Si intelligatur de suprema potestate in iudicando, id est de illa qua dirigitur ab Spiritu Sancto ex certa promissione eius indeque infallibiliter iudicat, vera est maior, sed falsa est minor. Ad primam probationem maioris, concedo quod illa definitio omnes obligat etiam Summum Pontificem; ergo solum esse potest a suprema potestate: si intelligatur suprema in infallibilitate, ita sane est, quia est ab Spiritu Sancto per ministerium Concilii loquente et definiente et in proposito nulla alia potestas requiritur quam infallibiliter iudicandi et haec est in Concilio sicut in Pontifice, quippe eadem certa directio

(120) Véase supra n. [17].

Spiritus Sancti; si intelligatur suprema potestas in absoluta et independenti iurisdictione, falso et male colligit, quia ista independens iurisdictio non est per se causa obligationis ad credendum, sed sola infallibilitas divinae veritatis. Quod patet, quia Scriptura canonica non habet iurisdictionem, haec enim solis personis collata est, et tamen, ex eo quod est canonica et dictata ab Spiritu Sancto, omnes obligat ad credendum etiam ipsum Papam; et tamen non licet inferre, ergo habet Scriptura supremam potestatem iurisdictionis; bene tamen, obligat omnes ad credendum, ergo habet infallibilem et divinam veritatem. Et age, urgeamus rem exemplis. In antiqua lege suprema potestas, etiam decernendi et iudicandi in rebus fidei et morum, erat in sacerdotibus, iuxta illud Deut 17 [8-13], sive esset in solo sacerdote, sive etiam in Concilio reliquorum, de quo modo non curo; et tamen, si aliquis signis miraculorum vel aliis motivis habebatur fidelis propheta Domini, puta Isaias vel [F. 54] Hieremias, summus sacerdos et reliquum levitarum genus astringebantur credere revelationes illius Prophetae; ergo erat suprema potestas in propheta. Neganda est prorsus consequentia; sed erat infallibilitas in dicendo, quia afflatus divino Spiritu loquebatur. Secundum exemplum sit in lege gratiae. Si aliquis liber incipiat haberi ut canonicus ex decreto Pontificis, suo decreto non tribuit libro infallibilitatem; quin potius, eo quod liber erat divinae veritatis, illum canonicis adnumeravit; et ex tunc astringitur credere contenta in tali libro; ergo in libro est suprema potestas. Neganda est prorsus consequentia, sed est infallibilis et divina veritas, quae est per se causa obligans ad assensum fidei. Video hoc esse discriminis, quod cum Papa vel Concilium ad definiendas quaestiones fidei et morum non suscipiat novam revelationem, sed ea, quae prius erant revelata et implicite credita, explicite proponant ut explicite credantur, est in utroque vis quaedam et potestas iudicandi et discernendi revelata a non revelatis, promissa sibi directione Spiritus Sancti, quae in Pontifice sub potestate iurisdictionis solet comprehendi. Haec ergo potestas discernendi vera a falsis in Pontifice legitimoque Concilio generali aequalis est, quoad infallibilitatem, sed non quoad independentiam; quia in Pontifice est absoluta et independens a Concilio, ut iam dixi, in Concilio vero e contra est dependens ab auctoritate Pontificis convocantis et instruentis, tamquam a conditione omnino necessaria.

[123] Ex quibus, ad formam argumenti, distinguebam maiorem: infallibiliter iudicare est solius supremae potestatis quoad infallibilitatem, verum est, et illa est etiam in Concilio; non tamen solius supremae quoad independentiam, quae in solo Pontifice reperitur. Et inde ad minorem,

concedo verum esse supremam potestatem esse in solo Romano Pontifice, illam videlicet quae absolute dicitur suprema, non solum ex infallibilitate, sed ex sua absolutione et independentia. Quare non sunt in Ecclesia duae supremae potestates independentes et non subordinatae, ut inferebatur. Sed illa [F. 54v] potestas, quae est in Concilio determinandi controversias fidei et morum, licet sit suprema quoad infallibilitatem, est tamen inferior et dependens a convocatione et instructione Pontificis, atque adeo illi subordinata. Itaque, ut uno verbo totam colligam solutionem: Concilii potestas ad definiendum est aequalis simili potestati Papae, quoad infallibilitatem; est tamen illi subordinata, quia ab illius obaedientia et instructione, tamquam a necessaria conditione, dependet.

[124] *Ad quintum* (121), tota difficultas est in maiori. In qua duo dicuntur: primum est, omnes maiores causas ad Sedem Apostolicam esse referendas, quod verissimum est et indubitatum; secundum, ideo ad illam referri, ut ab illa definiantur et terminentur, quod pariter verum est si recte intellegatur. Non est necessarium, quod personali decreto Pontificis terminentur et per sententiam ab ipso prolatam, ut patet in causis episcoporum, quae per speciale mandatum Pontificis finem accipiunt vel accipere possunt (ut modo suppono ex Concilio Sardicensi can. 7 in prima translatione (122), et ex can. 21 ex iis, quos ex Concilio Nicaeno refert Iulius Papa secunda decretali (123), quae est rescriptum ad Orientales), sed sufficit si causae fidei per auctoritatem Pontificis terminentur, congregantis instruentisque Concilium. Tunc enim et merito per auctoritatem Pontificis dicuntur causae finiri et terminari, non quia eius confirmatio vel personale decretum sit necessarium ut Concilio praestet infallibilitatem, sed quia ab eius instructione et obaedientia dependet infallibilitas Concilii, tamquam a necessaria conditione. Quia non aliter est illi promissa assistentia Spiritus Sancti, ut saepe dictum est. Et si in eodem sensu consequens accipiatur (et accipi debet, ut a maiori inferatur), tota deductio firma est et concedenda. Testimonia vero Pontificum inducta solum probant maiorem in sensu a nobis exposito, ut illis perspectis liquidum est. In testimonio vero Innocentii ultimo obiecto (124), id est specialiter observandum: ibi sermonem Pontificis esse ad Concilium Milevitanum, quod fuit nationale; Concilia autem nationalia, [F. 55] etiam

(121) Véase supra n. [18].
(122) HARDUIN, I, 641.
(123) PSISIDORUS, *Collectio Decretalium:* ML 130, 620.
(124) Véase supra n. [22].

auctoritate Papae coacta et sub eius instructione procedentia, non habere infallibilitatem in decretis sine confirmatione Pontificis; quia illis non est promissa assistentia Spiritus Sancti, sed solis oecumenicis et generalibus.

[125] *Ad sextum* (125), respondeo, quod aeque implicat adversarios; et quidem semel et iterum. Nam inquiro, quorsum post decretum Pontificis, quod facit rem de fide, iubet convocari Concilium et eamdem veritatem definiri, ut contigit in Concilio Chalcedonensi, quod semel et iterum praecesserat definitio Leonis Magni contra Euthychetem et in Sexta Synodo, quam praecessit definitio Agathomis in utraque suggestione eius ad imperatorem et ad Concilium? Sicut ergo tunc non cogitur Concilium ad praestandam infallibilitatem Pontificis definitioni, quae per se erat infallibilis et dictata ab Spiritu Sancto, sed ob alios effectus (nempe facilioris obaedientiae et receptionis ex communiori assensu episcoporum), ita in proposito non exigitur confirmatio Pontificis ad obtinendam infallibilitatem, quia iam inerat decretis legitimi Concilii generalis, sed ob alium effectum statim declarandum. Secundo et urgentius sciscitor: quare etiamsi instructio Pontificis ad Concilium fuerit ipsius Pontificis definitio ex assistentia Spiritus Sancti, rursus postulatur a Papa confirmatio Concilii, ut videre est in eadem Synodo Chalcedonensi, quae per Leonem I confirmata fuit, et in Sexta Synodo, quae confirmata fuit per Leonem II? Tunc certe confirmatio non ideo postulata est a Concilio vel data a Pontifice, ut definitiones Concilii essent infallibilis veritatis, quippe iam erant adhuc in contraria sententia ex decreto Papae quod praecesserat; sed ideo postulatur, ut omnibus constaret, Concilium fuisse legitimum et iuxta instructionem Pontificis processisse, atque adeo habuisse assistentiam Spiritus Sancti, quae ex illis conditionibus necessario dependebat, supposita Dei institutione et promissione qualis modo est. Ad aundem ergo effectum postulatur confirmatio quando decretum Papae non praecessit. Quia quando fideles non certi[F. 55v]ficantur sufficienter de impletione illius necessariae conditionis, non arctantur ad praestandum fidei assensum decretis Conciliorum. Et regulariter loquendo, per confirmationem Pontificis convenientissime certificantur, quod Concilium fuit eius auctoritate convocatum et sub eius instructione processit. De quibus alias minus sufficienter certificarentur, cum et episcopi possint a suscepta instructione deficere, legatis, ipsis repugnantibus, ut contigit in Concilio Chalcedonensi quoad praelationem Patriarchae Constantinopolitani ad re-

(125) Véase supra n. [23].

liquos (unde decretum illud irritum fuit postea per Leonem Magnum), et ipsi etiam legati possint contra instructionem agere et agentibus consentire (ut contigit Rodoaldo et Zachariae, legatis Nicolai Papae, ut refert idem Nicolaus epistola ad Patriarchas et Metropolitas et ad Michaelem imperatorem). Adde quod, cum talis inobaedientia et crimen, si quando committitur, ab ipsis delinquentibus negaretur (quin potius astruerent se legitime processisse, ut suis decretis assensum populorum obtinerent), ut ergo processus Concilii legitimus habeatur et ab omni suspicione liber, efficacissimum est ipsius Pontificis testimonium et approbatio vel confirmatio decretorum Concilii, ex qua vel sola in illis esset infallibilis veritas. Castro capite illo citato (126) et Corduba ubi supra (127), aliique auctores varias alias assignant causas, ex quibus confirmatio postulatur; quas brevitati consulens omitto. Apud illos videri possunt.

[126] *Ad ultimum* (128), ex utroque illo Concilio Ephesino II sub Leone Magno et Basileensi sub Eugenio IV, respondeo illa non fuisse legitima Concilia, sed conciliabula, et diaboli conventicula. Quod de unoquoque singillatim ostendo. *Et primo* de illo Ephesino II. Quia, licet a Leone indictum sit et legati eius adfuerint, tamen contra eius instructionem, ideoque repugnantibus legatis eiusdem Leonis, processit. Quod, tametsi notissimum sit, omnium oculis denuo subiciam. Nam in primis idem Leo (129) epistola 10 quae est ad Flavianum aperte definit [F. 57] et evidentissime demonstrat in Christo Iesu Domino nostro utramque naturam divinam et humanam veras et inconfusas permansisse post incarnationem. Similiter epistola 11, quae est ad Iulianum quem legatum suum simul cum aliis illi Synodo praesidere iussit, ut constat ex epistola ad Flavianum citata et ex epistola 12 ad Theodosium et ex epistola 15, quae est instructio Concilii in qua sic scripsit: «*fratres nostros, Iulianum episcopum, Renatum praesbyterum, et filium nostrum Hilarium diaconum, cumque his Dulcitium, notarium probatae nobis fidei, misi, qui vice mea sancto conventui vestrae fraternitatis intersint, et communi vobiscum sententia, quae Domino sint placitura, constituant; hoc est, ut primitus*

---

(126) A. DE CASTRO, *De iusta haereticorum punitione* lib. 1 cp. 6 fol. 22v-23r.

(127) A. CORDUBA, *Quaestionarium theologicum* lib. 4 cp. 1 p. 259.

(128) Véase supra n. [24].

(129) S. LEO MAGNUS, *Epistola* 28 ad Flavianum: ML 54, 755ss; *epistola* 35 ad Iulianum: ML 54, 805-807; *epistola* 29 ad Theodosium: ML 54, 781-783; *epistola* 33 ad ephesinam synodum secundam: ML 54, 797-799 (las palabras citadas, en la col. 799); *epistola* 44 ad Theodosium: ML 54, 827ss; *epistola* 45 ad Pulcheriam: ML 54, 833-835.

pestifero ipsius errore damnato, etiam de ipsius, qui imprudenter erravit, restitutione tractetur etc». Ecce post tot definitiones, post tam apertam instructionem de damnando errore Euthychetis, illi e contra approbarunt et susceperunt errorem a Leone damnatum, et damnari visum; et Dioscorus nec illas instructiones legi permisit in Synodo, sed legatos etiam ipsos per vim cogere voluit ad subscribendum suo errori (ut idem Pontifex testatur epistola 25 ad Theodosium et 26 ad Pulcheriam, et probatum est in Concilio Chalcedonensi actione prima (130), ubi Ephesi acta recitantur et examinantur), immo et quod episcopi per vim subscribere coacti sunt ante quam sententia Synodi scriberetur. Quare idem Pontifex Leo epistola 43 ad Marcianum Augustum (131) de illo secundo Ephesino conventu loquens ait: «*non potest vocari Concilium, quod in eversionem fidei fuisse constat agitatum*». Et in Concilio Chalcedonensi actione 10 (132), Paschasinus et reliqui legati Leonis *necessarium est enim*, inquiunt, *ut rursum eumdem tranquillissimum et christianissimum Principem adeamus, quatenus illud Concilium sacra et pia lege nec nominari praecipiat.* Quos Anatholius Constantinopolitanus et reliqui Patres sequuti sunt, iudicantes illam Synodum Ephesinam II fuisse illegitimam. Et Gelasius Papa in tomo de vinculo anathematis (133) appellavit Ephesinum latrocinium, et Nicolaus I epistola ad Michaelem post [F. 57v] medium (134). Quomodo ergo quasi Concilium legitimum illud nobis obiciunt, quod tam aperte defecit in necessariis, ut ne Concilii nomen, teste Leone, promereatur, sed latrocinii, teste Gelasio?

[127] *Ad secundum* exemplum ex Concilio Basileensi, respondeo illud Concilium fuisse illegitimum, et ita vere conciliabulum. Ad quod comprobandum sufficeret bulla Pii II (135), qui, in minoribus agens et appellatus Aeneas Sylvius, illi conciliabulo mordicus adhaeserat; postea resipuit, quae pro illo scripserat revocavit, et tandem, iam Papa, illud fuisse illegitimum declaravit. Et refert Iulianum Cardinalem Sancti Angeli, qui illi conciliabulo praefuit, suum tandem errorem agnovisse, illumque Basileensem conventum saepius damnasse et detestatum fuisse, et Eugenium IV adorasse, et Concilium Florentinum suscepisse Nihilominus quia aliqui ex adversariis, minus attente rem considerantes, nobis

(130) HARDUIN. 2, 705s.
(131) S. LEO MAGNUS, *Epistola* 90 ad Marcianum: ML 54, 933.
(132) HARDUIN, 2, 538.
(133) PSISIDORUS, *Collectio Decretalium:* ML 130, 950.
(134) NICOLAUS I, *Epistola* 86: ML 119, 947.
(135) HARDUIN, 9, 1449ss.

obiciunt aliquas illius conventus sessiones fuisse legitimas, in quibus tamen decernendo erravit, altius repetito principio demonstrandum est nullam prorsus sessionem, in qua editum sit decretum, fuisse legitimam.

